MARTINI SCHOOCKII

VINDICIÆ SERIÆ

Suæ & aliorum virorum doctorum ſententiæ,

FOENORE VNCIARIO:

Adverſus

JOH. FREDERICUM GRONOVIUM.

GRONINGÆ,
Typis IACOBI SIPKES, Typographi & Bibliopolæ. Anno 1661.

[illegible]

Quadriennium est, quod Exercitationes sacras de quæstionibus quibusdam Theologico-Practicis, inter ipsos Orthodoxos Theologos quam controversis, evulgaverim. Placuerunt illæ multis viris doctis, sapientibus, pacisque Ecclesiæ studiosis. Displicuerunt solis illis ex ordine sacro, qui à singularitate gloriam aucupantur: qui quum soli sapere videantur, femur non modo ferire solent, sed maledicentiæ pelves profundere, si quis sua placita aliquanto liberius examinare instituerit. Cum quibus quòd à plurimis annis noluerim novam in Ecclesia reformationem moliri, dura multa perpeti debui. Deus tamen indignissimum suum servum non deseruit, sed animum & vires concessit, ut non modo potuerim ex Verbo suo placita magnorum Theologorum tueri, verum etiam factionis illius primipilos ad incitas adigere, ut ipsi pertinaci silentio coacti fuerunt fateri. Vltima harum Exercitationum agebat de Fœnore Trapezitico, adeoque arrisit viro Philosopho sani præ aliis sensus & subactissimi judicii in Academia Lugduno-Ba-

tava, ut ea honorifice ad suffragium vocata, publicam Disputationem instituerit, qua caussam solide agebat illorum, quos vulgus per Belgium probroso vocabulo Lombardos vocat: quod ad rem faceret, obiter deflexeram ad *Fœnus unciarium*, inter viros eruditos quam controversum, ac veniam (quod tamen non oportuit) præfatus, libere inquirere cœpi in sententiam Salmasii & Gronovii, ea modestia, ut cum forte hunc liberius notare potuissem, quod ex protrito magno illo Salmasio, quo vivo in scriptis dissensum vix profiteri sustinuerat, tropæum famæ erigere moliretur; contentus tamen fui hoc obiter solum innuisse, licet interim non dissimularem omnia Gronoviana Phidiæ operibus nequaquam adæquanda esse. Pupugisse sic videor hominem, qui cum se & sua duntaxat admiretur, seseque ab excessu Salmasii (sed hactenus absque populi suffragio) pro Reip. literariæ dictatore gerat, copias non tam eruditionis, quam maledicentiæ conduxit, ut, si fieri posset, orbi literario me non modo misericordiæ, sed sui quoque nasi victimam exhiberet. Quærat forte aliquis, nec absque caussa, cur vir, minime scil. ambitiosus, tot per annos silentium sibi imperare potuerit? Sed idem quærat, cur ante annum folium & amplius libelli sui, typis quoque expressum, amicis interioris admissionis ostentarit, & adulto demum mense Martio hujus anni eundem vulgarit. In arenam protractum credo à quibusdam, in sua quoque

urbe,

urbe, qui cum videant ſuam ſententiam de iis qui exercent menſam fœnebrem, quod ab omni charitate & ratione aliena ſit, diſplicere cœpiſſe non modo Synodis Belgicis, ſed ſupremis quoque Patriæ Patribus, & per totum fœderatum Belgium, illos, quos ut Lombardos traducere ſolent, ad menſam Domini admitti, inclementer & dicunt, & male volunt omnibus, per quos norunt ſententiam ſuam protritam eſſe. Gronovium ſiquidem, qui pag. 8. aſſerit Lombardos *prædam* ſperare, ab hoſtibus eorundem de menſarum fœnebrium conditione edoctum fuiſſe, evincit narratio, quæ ibid. occurrit: quare, ut iis placeret, mihi quoque inſultat pag. 42. quod alibi innuerim, quos ipſe contumelioſe Lombardos vocat, *legi poſſe in Conſiſtorium & fieri Preſbyteros ac Diaconos.* Viderit verò, an bene componi poſſit cum iis, quibus probare ſe voluit. Hoc ſcio, quod ſi iis (rigidi gratiæ Dei ſunt patroni, nec quicquam naturæ tribuunt) ſiſteretur ut Catechumenus, forte ob moderationem, & ignorantiam fallaciarum Pelagianarum, commendandum eſſe diligenti Catechiſtæ. Prodigioſum cenſet, ſi Trapezita cœtera pius & honeſtus, in Conſiſtorium adoptetur: ſed multos eorum novi, qui licet bonis ipſius libris præferant unum ſolum librum, eumque optimum, adverſariis religionis felicius reſiſtere poſſint, quam ipſe, & conſtantiſſime aut Romæ, aut Coloniæ, aut Antverpiæ, aut etiam alibi, exiſtimationem Eccleſiæ tuituri

 ſint.

ſint. Quum Lipſius Leidæ minus diligenter exploratus eſſet, admiſſus eſt in Conſiſtorium: ſed quod nimis quam aſſiduus fuiſſet in libris, quos ſolos Gronovius bonos cenſet, proſtituit non tam Eccleſiam, à qua receſſit, quam ſe probavit eſſe hypocritam. Gronovius dum præ iiſdem libris alios non æſtimat, viderit, ne, dum unius libri quam ſecurus eſt, *Uno* quoque illo excidat, quod ſolum cognoviſſe & in hac & altera vita prodeſt. Ductor factionis Antitrapeziticæ, ne nimium diligat ſuos bonos libros, commendaret libellum, habentem hunc titulum: *F. Gabrielis Putherbei Theotimus, ſive de tollendis & expungendis malis libris, libri tres.* Prævideo facile, contemneret, ſi offerretur: quod ſui boni libri, ibi probentur eſſe peſſimi. Sed, ut ſpero, ſi ſcopum Cenſoris attenderet, inciperet ſuſpectare theſauros, quos ſui libri promittunt, nec carbones margaritis diutius præferret. Vlterius de his viderint Theologi. Ad me accedo & heroëm noſtrum: *par*, ut ipſe profitetur, *non bene compoſitum*. Illi ſum Therſites, pag. 85. ipſe *Hector*, pag. 88. Si quæras, unde hoc ſciat? ipſe reſpondebit pag. 2. quod *ſatis ſit confiſus ſuis moribus*. Hoc ſcil. didicit ex bonis ſuis libris. Dei Codicem ſi æque diligenter evolveret, hos bonos ſuos mores ſuſpectaret, & expaveſceret ad *cor ſuum, fraudulentum ſuper omnia*. Nam nec ipſe, nec quiſquam mortalium, ſed ſolus Deus, hoc perſcrutari poteſt. An ego vero merear cum homine in caſtris

Græ-

Græcorum monstroso comparari, arbitrentur qui me norunt, & scripta legerunt. Qui personam hominibus, publice histrioniam facientibus detrahit, & alios monet, ne patiantur se decipi ab iis, quorum mores fucati sunt, de publico bene meretur. Aliud à me factum fuisse, ipsa calumnia non probaverit. Nec moror, quòd, qui me plus oderunt, quam Vatinius posset, hactenus hominibus videantur satisfacere, & magni æstimentur. Recordor, quod Christus olim Pharisæis dixerit: *Vos ii estis, qui justificatis vos ipsos in hominum conspectu: Deus autem novit corda vestra: quia quod apud homines sublime est, abominatio est in conspectu Dei.* Quicunque hæc legent, judicent, uter nostrum Thersites an Hector haberi mereatur. Egone? qui ne viderer inquietare voluisse unius Salmasii Manes, in arenam pariter Heroëm nostrum protraxi, innuendo, dum ingratum animum arguebam, volupe mihi non esse cum Larvis luctari. An vero is? qui audire vult rei nummariæ oraculum, & temperare sibi non potuit in ipsa maledici sui libelli Mantissa, quin quatuor Semones, Josephum Scaligerum, Salmasium, Pancirollum, & Jacobum Capellum, è quorum sepulchris à tot annis rosæ natæ sunt, Pædagogi instar flagellaret, quod sententiam à sua opinione alienam, sed aliis quoque quàm putidæ Grammaticæ fulcris suffultam, in scriptis cedro dignis proposuerint. Diligens aliquis Homeri lector, si cum Pythagora animæ recidivatum agnosce-

ret, juraret non Hectoris animam in Gronovio ſtabulari, ſed ignavi illius Græculi, qui, cum fortiſſimus Trojanorum ab Achille eſſet occiſus, non dubitavit mortuum procaci hac oratione inceſſere:

Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ·

Aut potius alterius τοῦ Δεῖνα, (priori, ni fallor, aſtabat, & videbatur Therſitæ eſſe fraterculus) qui

Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας.

Eoque fero quod in ipſo titulo ſaluter *Theologiſtoricophiloſophologus*. Si pariter his chartis præſcripſiſſem titulum *Grammaticalogocriticojuriſconſulti*, & narraſſem quendam Senatus Critici principem, ſordido lucello ſuadente, conſueviſſe Collegia à tantis viris negligi ſolita inſtituere, exteris viſus fuiſſem æquè monſtra narrare; atque Hectorem literarium, domi è ſublimi Cathedra, (ne videatur, quando à ferula recentes adoleſcentes inſtituit, inferioris ſubſellii eſſe) quoſcunque Latinæ linguæ authores (quos olim pueri duodecennes intelligere ſolent in inferioribus Gymnaſiis) Aſcenſianum in morem interpretari, obſervatiunculam quamque, claſſici alicujus authoris dicto illuſtratam, non quidem numo ſeſtertio, (famam licet pro fato ſeculi procurarit) ſed contra auream imaginem vendere; ſimul hunc ipſum, omnium aliarum Academiarum Profeſſores Philologos, (forte ſolis diſcipulis, quos promovit, exceptis) notare, traducere, ridere,

ut

ut *reales doctores & commentatores*, si, aut quando docent, aut quando scribunt, Politicas dissertationes instituant, aut narrationem aliquam historicam, singulareve dictum, convenientibus exemplis ac sententiis illustrent, nam si in hoc aliquid situm foret, æquè sibi in proclivi fore, ac quando vulpes pyrum comest. Verum bonæ caussæ fiducia, talibus præsidiis haut opus esse, me monuit. Posthac si irriter, fortè aureæ institutionis exempla publicè exhibebo: diu est, quod quæ discipuli grandi pretio emerunt, (dubito an faciat ad commendandum præceptorem) ausint vendere. Merearne haberi Theologus & Philosophus, testentur scripta, testentur discipuli. Noster Hector saltem, non potest hic judex sedere. Nec ausurum confido.

Abrotanum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare.

Historici & Philologi existimationem an decoxerim, ex sequentibus judicent, quibus datum est sapere. Ad rem accedo. Quid sit *fœnus unciarium*, inter me & Gronovium controvertitur. Ipsi videtur illud esse, pag. 5. *ubi mensibus singulis centesimæ partis uncia seu duodecima pars, omni anno una pars centesima integra, seu nummus in centenos nummos collocatæ pecuniæ fructus est.* Ego vero, ut ipsius verba non mutem, putarim *uncias usuras, vel unciarium fœnus prorsus idem esse, quod usuras centesimas, seu duodecim annuos in centenos.* Vtri nostrum hic debeatur triumphus, postea liquebit: at vide-

rit

rit Gronovius, ne eum ante victoriam proclamaverit, & nimis festinarit in tropæo erigendo. Persuasum quidem cupit, sibi præ aliis fidem deberi, quod nemo *ea diligentia* de re nummaria scripserit, *quo ipse conatus* fuit, pag. 4. eoque, quæ hac de re Jos. Scaliger, & tot alii posteritati reliquerunt, ipsi sunt *festinata nimis*. Sed hæc parum me movent. Sufficit mihi, ab iis, qui hæc discutere possunt, rationes cum rationibus contendi. Erat hæc prima ratio, quam ne quidem Achilles, nedum Hector noster de statu deturbaverit. *Quum apud omnes sanæ mentis homines, in confesso sit, in ea repub. quæ subditos habet pauperes, & æris indigos, usuras esse grandiores, quam ubi subditi opibus & pecunia abundant, quis persuasum habeat, eo tempore, quo Roma circa matrem suam adhuc luctabatur, (ut cum Floro loquar) atque fasces suos ultra Italiam nondum extenderat, annuatim modo unam centesimam sortis partem, modo iterum unam ducentesimam sortis partem, solutam nomine usuræ fuisse, atque cum ea ipsa Romuli urbs ferme ὅλης τῆς οἰκουμένης opes mœnibus suis complecteretur, centesimam usuram fuisse ordinariam, atque duodenas centesimas partes sortis citra querelam quoque anno pensas fuisse.*

Multa adversus hæc accumulantur, nam complentur paginæ sedecim. Nihil vero quod faciat πρὸς τὸ ἔπος, (provoco ad quoscunque) respondetur. Aut dissimulavit Noster, quod argumentum intelligeret. Aut noluit intelligere. Aut non potuit

potuit intelligere. Ridet me ut Dialecticum pag. 20. alibi Dialecticam Sophisticæ exæquat; at, si à limine salutasset Divam hanc, monente suo Cicerone, sciret dijudicare *qua ratione verum falsumve sit: quid efficiatur è quoque: quod cui consequens sit, quodque contrarium.* Putat pag. 6. & seqq. se pulchre contudisse hunc meum Achillem, quod ostendere possit, *publicam & communem paupertatem* non esse *crescentis pecuniæ potissimam caussam*: atque, ut hoc astruat, (securus vinculorum, quibus postea constringendus erit) quo non divagatur? Sed non fuit hoc meum argumentum. Comparative procedit, & componit Romani Imperii infantiam, cum virili ætate: quod si non intelligat, consulat Philosophos in sua Academia: vel si supercilium ipsius eousque se submittete non possit, consulat saltem Servium ad vers. 69. Eclog. 8. Virg. nisi forte & hic *malus* Author sit. Mihi certe est Grammaticus ἀντάξιος decem Gronoviorum. Confido vero nullum præter ipsum, nisi forte ἀρρωστίᾳ τῆς διανοίας laboraverit, aliter conclusurum esse, quam certo credi debere, in ea Repub. cum egena & impotens adhuc esset, minimum usuras Centesimas per leges receptas fuisse; quod tantæ, eadem Republ. quam locupletata & potenti, jure probatæ fuerint. Attendatur Batavorum Resp. quum Albanus eam exerceret, supremi illius moderatores, iis, qui pecunia sua laboranti rei communi succurrebant, aliquando usuras centesimas, sæpius dextantes, &

do-

dodrantes promiserunt, nec vitio datum fuit privatis eo tempore, si tantundem exigerent. Anno trigesimo sexto hujus seculi, reip. ejusdem nomine quotannis adhuc solvebantur usuræ semisses, quæ ab illo tempore, cæperunt redigi ad quincunces, nunc vero conversæ sunt in trientales, & forte brevi redigentur ad quadrantes: quod debetur solummodo Dei benedictioni, quæ reipubl. illi tantum incrementum contulit. At finge hodie Præpotentes Bataviæ Ordines adhuc centesimis usuris pecuniam mutuam accipere, an cuiquam, præter Gronovium, tam male cum ratione conveniet, ut existimet *illorum majores* anno septuagesimo, aut octuagesimo superioris seculi, reipubl. creditoribus usuras duntaxat trientales solvisse? Applicentur hæc ad rem Romanam, & argumentum meum nondum solutum esse patebit. Do lubens acri adversariæ sententiæ patrono, (huc contendit pag. 6.) rempub. subsistere posse absque fœnore, nec barbatos Romanos, pauperes licet, celeres Calendas metuisse; adhoc, neque locupletes, neque extreme pauperes, sed τὰς τὴν αὐτάρκειαν ἀνισχυνομένας (ut ex Plutarcho pag. 6. docet) fœneratoribus maxime obnoxios esse; præterea Romæ fœneratorum crudeles rapinas & fraudes vix ullis legibus coërceri potuisse. postremum hoc necessum non fuisset, pag. 11. 12. 13. tam prolixe deduxisse; ut neque pag. 14. 15. 16. 17. 18. 19. quibus legibus grassanti malo obviam itum fuerit. Nihil horum inter nos controverteba-

vertebatur, sed quis usurarum modus per leges, maxime XII. tabularum, definitus fuerit. Fœneratores Protei instar, vincula aut effugere, aut perrumpere omni ævo sciverunt. Apposite ad Trapezitam Plautinus Curculio, Act. 4. sc. 2.

Rogationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam,
Quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges.

Quasi diceret, ubi primum *leges latæ* fuerint, & quasi *ferventes*, tunc illas metuitis: postquam paulum obsoleverint, & frigent, negligitis. Nec dubium est florente Roma, ultra centesimam hos ipsos progressos fuisse, & non modo afflixisse ambitiosorum fortunas, qui eos sectabantur, ut favente nummo consequi possent, quod de virtute desperabant: sed & dissolutorum juvenum, ganeonumque, quorum libidini satisfieri non poterat, absque præsenti pecunia. Interim omnibus his, non tam fœnus, quam singulares fœneratorum artes exitium accelerare solent. Pulchre Ambrosius libel. *de Tobia*. Nihil nequius fœneratoribus, qui lucra sua aliena damna arbitrantur? aucupantur hæredes novos, adolescentulos divites explorant per suos, adjungunt se, simulantes paternam & avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam caussam invenerint, accusant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de se speratum atque præsumptum. sin vero nullos laqueos

queos alicujus neceſſitudinis offenderint, intexunt tabulas, ajunt nobile prædium eſſe venale, amplam domum, accumulant proventus fructuum, annuos reditus exaggerant, hoc tantum ut coëmant. Similiter faciunt, preciosas veſtes & monilia nobilia prædicantes. Negant ſe habere pecuniam, ingerunt ſuam, utere ut tua: de fructibus emptæ poſſeſſionis precium multiplicabis, debitum reddes. Prætendunt alienos fundos adoleſcenti, ut eum ſuis expolient; tendunt retia. Simul, ut indagine cincta ſepta fuerit ingreſſus, cogunt eum in retia cautionum, laqueos uſurarum, petunt ſibi obligari avitum prædium, paternum ſepulchrum, præſtituitur dies ſolutioni, diſſimulatur conventio, quando poteſt ſolutio ſuſtineri; ubi ſatis ſecurum reddiderint, repente ingruunt, & inſtant vehementius, cauſanti incumbunt dicentes: Tu poſſides tua prædia, nos noſtram pecuniam non habemus, aurum dedimus, lignum tenemus, tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accreſcit pecuniæ. Ocioſa cauſatio eſt, ſaltem renovetur chirographum. Itaque dum primum putat adoleſcens nihil de veſtibus ſuis, aut poſſeſſionibus eſſe vendendum, ad hæc facienda poſcit dilationem. Vſuræ applicantur ad ſortem, accumulantur centeſimæ. Jam ſuſpirare incipit, jam malum ſuum agnoſcit, die ac nocte uſuram cogitat: quicquid occurrit fœneratorem putat: quicquid crepuerit, vocem ſibi videtur fœneratoris audire, &c. *Hactenus*

nus Ambrosius. En! ut arguat fœneratores, non quod centesimas acciperent, sed quod *accumularent*. Scaptius *quaternas* exigebat à Salaminiis, ut ipse Cicero testatur lib. 5. ad Att. ep. ult. Fide minus bona agit Adversarius, quando quæ à fœneratoribus facta sunt, confundit cum illis, quæ jure licebant: ideo, ut evincat Romanos, *antequam egressi essent Italiam, fœnerantibus* quidem *solvisse centesimas*, sed *legibus solum jussum fuisse fœnus unciarium*, pag. 20 quod ipsi duodecima centesimæ pars. At discat ab ipso Justiniano, usuras majores centesimis jam olim permissas fuisse. leg. 26. §. 6. Cod. de Vsuris, expresse sic loquitur Imperator: *In trajectitiis autem contractibus, vel specierum fœnori dationibus, usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eum excedere, licet* VETERIBVS LEGIBVS *hoc erat concessum*. Paraphrastes commodus hujus legis est Harmenopylus libr. 3. tit. 7. §. 25. ἐπὶ δὲ τῶν ναυλικῶν δανείων, καὶ τῶν ἐπὶ τῶν δανειζομένων εἰδῶν, ἐφ' ὧν τὸ ΠΑΛΑΙΟΝ ἐξῆν πλεῖστα τόκον λαμβάνειν, μόνον μέντοι ἕως ἑκατοστῆς, καὶ μὴ περαιτέρω. *In nauticis autem fœnoribus, aut speciebus, quæ fœnori dantur, in quibus* VETERI IVRE *licebat graviores usuras exigere, centesima duntaxat & non ultra exigatur*. Quid *vetus Ius*, quid *veteres leges*, nisi quæ Roma in cunis adhuc vagiente, vigebant & præsenti pauperis reipub. conditioni serviebant? non ignoro, vetus jus in Jure Romano aliquando censeri, quodcunque novam legem

præcessit

præcessit. Sed hoc quoque scio, l. 1. ff. de Or. I. per *leges vetustas*, & §. 5. Instit de Exhær. liber. per *leges antiquas* jus XII. Tab. intelligi: quod & *legis antiquæ* nomen fert l. 1. Cod. de Except. item *jus antiquum* vocatur l. 7. ff. de cap. min. *Ius vetus* l. 1. ff. de hæred. petit. & alibi sæpe *Ius priscum*. l. ult. Cod. Theod. de usur. rei judic. Si non ostenderit Adversarius legem sub Principibus latam, quam Justinianus respexerit, concludam per XII. Tab. in casibus quos tangit Imperator, licuisse usuram Centesimam excedere. Neque enim Tacitus Annali 6. totum legis carmen exhibet, cum dicit, *Neque unciario fœnore amplius exerceret*. Vnciarium fœnus, quod mihi coincidit (imo, ut clarissimè liquebit, coincidere debet) cum Centesima, potuit æque ordinarium fœnus fuisse, juxta XII. ratione omnium contractuum; atque ratione cujuscunque licitæ negotiationis d. l. Imp. Justinianus usuras besses permisit. Et ut Imp. *in trajectitiis contractibus, & specierum fœnori dationibus* centesimam concessit, licuerit quoque per XII. Tab. in similibus casibus centesimam excedere. Fateor lubens, me hæc probare non posse, per ipsas leges vetustas; (quod solummodo rudera earum nobis supersint) confido tamen conjecturas has omni ratione non destitui. Interim seponere tuto mihi licet hasce conjecturas, quum audax Adversarii assertio, per ipsas leges (Jurisconsultus est, præ me has nosse debuisset) & confundatur, & prostituatur: ex quibus mihi sufficit

ficit probasse, jam olim Jure licuisse centesimam excedere. Forte exceperit contra Justinianum, & aliquid in Adversariis invenerit, quod Grammatico colore inficere possit. Eoque pro asserendo argumento meo, testem assiduum magis laudo. Ipsum Hectorem nostrum. si aliquem grandi quoque ære voluissem conducere, æque commodum (sed & verum) testimonium non potuisset dicere. Omnes credent, modo audiatur. Ita ergo pag. 72. vaticinatur: *Fœnoris modus crescit minuiturve partim pro tempore proque modo pecuniæ, quæ inter homines versatur, partim pro fide illorum, qui mutuum petunt. Qui ergo ibat in creditum adpendendo centum aut mille libras æris, stipulabatur mercedem usus pecuniæ suæ, quam alteri concedebat, menstruam vel centesimam partem crediti, ut de mille libris decem, de centenis unam, vel plus minusve: prout erant tempora & fides necessitasque mutuantis: quoties fides erat angustior & rei nummariæ difficultas, multum; quoties abundabat pecunia & bonum nomen creditor, minus.* Quid æque apposite pro statuminando meo argumento (circa quod Adversarius frustra lacertos fatigavit) dici posset? Hoc ipsum volo, hoc ipsum contendo. Romæ, cum pecuniæ esset sterilitas, & populus egenus, Vnciarium fœnus, seu Centesima Legibus permissa fuit. Imo (licet ex Historiis, quæ interciderunt, probari non possit) ipso Justiniano teste, grandior quoque usura. De quo ne quis dubitet, cogitet florente Roma, Centesimam per

Leges (non ergo per solam fœneratorum libidinem) usuram ordinariam fuisse. Si ego tam turpiter me dedissem, quantum non pulveris Adversarius concitasset? Ipse forte eodem privilegio gaudet, quo olim Chii. At, si neque ratio neque Adversarius (sibi maxime adversus) faveret: Romanæ saltem reip. ratione, favere deberet Dion Cassius, apud quem lib. 51. postquam de Octavio Augusto Triumphatore egisset, hæc occurrunt: τοσοῦτον γὰρ τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς πόλεως ἐχώρησεν, ὥστε τὰ μὲν κλήματα ἐπιτιμηθῆναι, τὰ δὲ δανείσματα, ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα, τότε ἐπὶ τῷ τριτημορίῳ αὐτῆς γενέσθαι. *Tantum enim pecuniæ per universam urbem ferebatur, ut & facultatum census auctus sit: & fœnus quod antea denario pendebatur, tum ad trientem ejus reciderit.* Si aliud non haberem, solus hic locus (qui infra novum argumentum suggeret) Hectori nostro papyraceo æternùm prostituendo sufficeret. Non accedo adhuc ad vindicandum secundum argumentum. Subsistere aliquantum oportet, circa fœnus improbum, quod contra leges, fœneratores jam olim Romæ exercuisse Noster concedit, ut ipsam quoque Centesimam excesserint. Quis fando unquam audivit, quod si in aliqua Republ. fœnus contra leges immodicum exercitum fuerit, leges, quæ ad illud coërcendum ferebantur, usuras minimas, & non potius mediocres definivisse. Prudentes Legislatores idem hic observare solent, quod

circa

circa valorem pecuniæ, qui si in immensum surrexerit, ad justum reducunt. Sed ipsa florente Roma, justa & ordinaria Centesima fuit, quis ergo sibi non persuadeat, fœneratores Centesimam excedere solitos, ad eam, seu, unciarium fœnus, per jus antiquum revocatos fuisse: quum ridiculum fuisset, duodecimam illius usuræ partem, quæ ordinario à fœneratoribus exigi solet, & à multis absque gemitu solvebatur, ordinarii fœnoris modum statuere. Tacitus in loco controverso, occasione mali fœnebris addit: *Multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursum oriebantur.* Idem querentem audivimus Curculionem. Demus jam adversario, unciarium fœnus, jure concessum, duodecimam Centesimæ partem fuisse, quæ impudentia fœneratorum fuerit, legitimas usuras in tantum multiplicasse, ut undecies excesserint, quod leges jusserant. Inaudita hæc sunt & à ratione alienissima. Atque, si aliquis cogitet, duplicasse eosdem Centesimas, magis adhuc obstupescet. Nemo repente fieri solet turpissimus: nec ab extremo ad extremum pervenitur nisi per medium. Fœnus unciarium si fuerit duodecima Centesimæ pars, necessum fuerit, per deunces, trientes, semisses, dodrantes, & dextantes fœneratores ad Centesimas pervenerint. At, ut multæ querelæ (apud Ciceronem maxime, speciatim liquet ex lib. 5. epist. ad Att. ep. ult. lib. 6. ep. 1. & 3.) jam olim Romæ

de fœneratoribus fuerunt; ita potissimum excessum Centesimæ respexerunt. Quæ cum fuerit concessa, quorsum unciarium fœnus aliò trahitur? Cum sub Tiberio populus de fœnoris incommodis quereretur, teste Tacito, *trepidi Patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam à Principe petivere.* Quis dubitet, multis seculis ante, utrumque ordinem, Laticlavios & Angusticlavios, per fœneratores quoque collocasse suam pecuniam? At, quis existimet eos populo tantum gratificari voluisse, ut duodecima centesimæ pars ordinarii fœnoris regula esset? Ne ipse quidem Gronovius (qui hominem domi cognoverunt, affirmant) si jus habuisset sedendi in Orchestra, hoc concessisset. Ipsos Senatorii ordinis viros, quod pecunia abundare soliti essent, fœneratoribus clanculum favisse quis dubitet? Iis enim olim omnis fœneratio interdicta fuit, ut viri docti jam olim observarunt ex hom. 57. Chrysost. in cap. 27. Matth. Vnde & Augustinus dicit in Quæst. Vet. Test. *Senatoribus fœnus diffamia fuit.* Postea ei rei modus datus est, per Impp. Arcadium, Honorium, & Theodosium, qui leg. 4. Cod. Theod. de Vsur. sic rescripserunt Optato: *Senatores sub medietate centesimæ usuræ ad contractum ecrdita pecuniæ censemus admitti.* Quod Tiberius sciret Senatores pecunia affluere, & eam fœneratoribus credere, cum pauperibus fœnore oppressis vellet succurrere, jussit *δισχιλίας μυριάδας ὑπ᾽ ἀνδρῶν βουλευτῶν ἀτοκεὶ τοῖς δεομέ-*

νοις

νοις ἐς τρία ἔτη ἐκδανεῖσθῆναι, ut loquitur Dion. lib. 58. Dici posset, aliquando omne fœnus legibus prohibitum fuisse; sed, modo ad illud respondebitur. Hoc interim auctarium accedat vindiciis primi argumenti. *Secundum* meum argumentum his verbis conceptum erat: *Quis sibi persuadeat, plebem Romanam indignatam fuisse, quod ex præscripto* XII. *tabularum usuræ loco, quoque anno, unam centesimam sortis partem solvere debuerit, atque T. Manlio Torquato & Cn. Plautio Coss. decennio post, semunciarium fœnus ex unciario fieri debuerit, quod hoc plebi nimis grave foret, siquidem Liv. lib. 7. cap. 16. unciarium fœnus ad M. Duillii rogationem (quæ decennio solum ante lata erat) post* XII. *tabulas refert. Verba hæc sunt:* C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario fœnore à M. Duillio Tribuno pl. rogatio est perlata: & plebs aliquanto cupidius eam scivit, accepitque. *Si possit exemplum dari ullius nationis, quæ adeo & argenti fuerit inops, & usurarum impatiens, ut potuerit sortem accipere, sub conditione solvendi annuatim centesimam duntaxat istius partem, eaque usura insignis adhuc oneris rationem habuerit, lubens fatebor, hisce rationibus nihil momenti inesse.* Non est, quod Adversarius, more hominum suæ professionis, pag. 24. & seq. multos nodos in scirpo quærat, ut videatur grande quid præstitisse, secundum temporis articulos illa quasi reformando, quæ in Argumento meo probe cohærent. Parum quoque refert, Manlio, Cajo an Cnæo prænomen

 fuerit,

fuerit, quum utrumque libri editi exhibeant: Ut argumentum meum magis ſtringat, priuſquam occurro illis, quæ opponuntur, alio adhuc nodo, eoque plus quam Gordio firmatum ibo. Fatetur Adverſarius, uſuras fuiſſe menſtruas apud Romanos, quoque etiam menſe exſolvi conſueviſſe. Fingamus ergo, Titium accepiſſe à Cajo quinquaginta numos ſeſtertios, & pro uſu promiſiſſe fœnus ſemunciarium, quod annuo ſpatio, quartam ſeſtertii partem conficiet: Cajus autem menſibus ſingulis uſuras ſolvere voluerit, quis tam peritus fuerit Calculator, qui ad pecuniam Romanam tantillum reducere poſſit, aut, quis dixerit exili illi fœnori numum quoque reſpondiſſe? Sed demus reſpondiſſe, quis voluerit tantillo vel pecuniam ſuam collocare, periculum ſuſtinere, ſimul & tabulas conſcribere, aliaſque moleſtias devorare. Acceperim à Dn. Adverſario, jam Poſidonio, moribus Romanis quinquaginta florenos noſtrates, & promiſerim fœnus ſemunciarium, ea lege, ut quoque menſe ſortem cum fœnore reſtituere poſſim. Redeam autem primo menſe, & exhibeam tres deutas noſtrates cum quadrante, an propterea voluerit Calendarium ſuum conſcribillare, metuere per integrum menſem ne malum nomen ſim, tabulas ſimul conficere & abolere? Haud equidem crediderim, ſi audierit quoque ex Plauti ſui Moſtellaria *Miſargyrides.* Magiſtratus quando leges de foenore ferunt, non modo conditionem ſuorum ſubdi-

ſubditorum attendere ſolent, verum etiam iis, qui pecuniæ ſuæ uſum, ſtipulando uſuras, aliis concedere poſſunt, ſic ſuccurrunt, ut ſemper inveniantur, qui in illa mutuo danda nolint eſſe difficiles. Neutiquam vero hoc circa foenus ſemunciarium, ex Adverſariorum mente ſi explicetur, ſubſiſtere poteſt. Nec eſt, quod aliquis odioſe Lombardos noſtros objiciat, quod exile foenuſculum ſæpe ingentes iis labores creet. Hoc enim penſatur aliis emolumentis, longe majoribus. præterea, ob pignus ſemper iis licet eſſe ſecuris & ſortis & foenoris. Sed quis idem dixerit de Roma, ſi ibi foenus ſemunciarium, ex Adverſariorum mente intelligendum, aliquando ſolummodo exigere licuerit? Hæc πάρεργα. Quid vero præcedenti argumento, prout primo propoſitum erat, Adverſarius opponit? Varia accumulavit, ſed plane ἀπροσδιόνυσα. Pag. 21. hæc offendo: *Reſpondeo*, &c. *An non planis verbis Liv. lib.* 7. Etſi unciario foenore levata uſura erat, forte ipſa obruebantur inopes, nexumque inibant. *Si ſortem ipſam ſolvere grave erat, ſi* ſorte *ſola ſine ullo augmento* obruebantur, *quidni grave erat, quantillum ſupra ſortem accedebat?* Si Noſter conſuluiſſet eundem illum, virum forte Reverendum, à quo de Lombardis ſe edoctum fatetur pag. 7. non ignoraret, ex infima quoque plebe homines, qui veſtes & neceſſaria vaſa oppignerata habent, uſuras, quotieſcunque pignorum inſtat diſtractio, ad aſſem exhibere, ſortem vero ne poſt plures quidem an-

nos, quibus fœnus ſolverint, pro pignoribus ſuis recuperandis, ſolvere poſſe. Ponderis aliquid reſponſioni huic ineſſet, niſi fœnus ex conſuetudine Romana, ante ſortem exſolvi debuiſſet. Si ignoret Noſter, diſcat ex Plauti Moſtellaria. Cum Tranio diceret: *Sortem accipe.* Daniſta reſpondit: *Immo fœnus: id primum volo.* Fœnoris ſolutio, pauperiores quoque minus gravare ſolet, quam ſortis. Eoque vere teſtatur Livius, populum Romanum *ſorte* fuiſſe *obrutum*, poſtquam ſcil. fœnus, ex conſuetudine prius ſolviſſet. *Proxime* pag. 22. & 23. ſic ex Livio inſtat: *Cæterum in hoc Livii loco notanda etiam illa verborum conſecutio:* etſi unciario fœnore, tamen ſorte ipſa. *Quis hic tam ſubitus ſaltus ab unciario fœnore ad nudam ſortem; ſi unciarium fœnus tam longe à nuda ſorte diſtabat, ut genus uſuræ eſſet maxime maleficum? Cur idem hiatus apud Tacitum:* ſanctum, ne quis unciario, &c. dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redacta, poſtremo vetita verſura. *Cur poſt ſemuncias vetita? Si* ſemunciæ *ſunt ſemiſſes, & hæ quoque oneroſæ, ſaltem quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, & quas quo nomine appellem, ignoro.* Sed cur hic factus fuerit ſaltus, à ſemiſſe, ſeu ſemuncia non ad trientes, quadrantes, & ſextantes. ſed fœnus omne fuerit abrogatum, ſupra, poſt Curculionem Tacitus nos docuit. Verba Scriptoris iterum exhibeo: *Multiſque plebis ſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur.* Ne

autem

autem fœnerari liceret, Romæ multis annis, post T. Manlium Torquatum, & C. Plautium Coss. effecit L. Genutius Trib. Pl. Ita enim Livius lib. 7. cap. 42. *Præter hæc* (inquit) *invenio apud quosdam L. Genutium Trib. Plebis, tulisse ad populum ne fœnerari liceret.* Quæret iterum Adversarius, cur non usuræ sextantes, quadrantes, aut trientes jure receptæ fuerint? Sed si semunciarium foenus, ex suo sensu Centesimæ vigesima quarta pars, oneris singularis rationem habuerit, caussa non est, cur de sextantibus, quadrantibus, aut trientibus quæramus? Cum vero fallatur toto coelo in explicando unciario & semunciario foenore, rationem dicam, cur lege sextantes, quadrantes, aut trientes usuræ receptæ non fuerint. Locupletiores, ex ipso Senatorio quoque ordine (ad hoc probandum supra adductus fuit Tacitus) apud foeneratores levioribus usuris pecuniam suam collocare solent, quam illi grandioribus dein mutuò dabant. Vlpianus leg. 7. §. 2. ff. Depositi: *Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum: hoc est, eorum, qui depositas pecunias habuerunt, non quas fœnore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipsos exercebant.* Suet. lib. 2. cap. 39. de Octavio Augusto: *Notavit aliquos, quod pecunias levioribus mutuati, graviore fœnore collocassent.* Quod ergo locupletiores minus quam semisse, cum argentariis (qui pro arbitratu suo, in fraudem legum, foenus exercere solent) transigere nollent, passi

fuerunt

fuerunt per Plebiſcitum omni foenore interdiceretur. Priuſquam pergo in examinandis Adverſarii reſponſionibus, novum argumentum, ex iis, quæ obſervata ſunt, ſe ſiſtit. Quum locupletiores (patet quoque ex Plauti Moſtellaria) foeneratoribus pecunias ſuas, certam uſuram ſtipulando, ut ea foenerarentur, credere conſueverint, quantillum locupletiores acceperint, ſi Jure foeneratores, non niſi duodecimam centeſimæ partem, & aliàs, non niſi vigeſimam quartam ſtipulari potuerint? Neceſſum ergo unciarium & ſemunciarium foenus ex noſtro ſenſu explicentur. Porro, ut & Manutio viro doctiſſimo, & mihi teſtatum faciat, unciarium & ſemunciarium foenus, ex ſua mente intelligendum, Romæ onus grande cenſeri debuiſſe; pag. 25. ita profatur è ſua Cathedra, non vero Tripode: *Sed & præſto ſunt exempla omnium civitatum, quæ tabulas popoſcerunt novas, quæ quadrante aut beſſe deciderunt, quæ omne fœnus vetuerunt. Præterea centeſima ſortis annua pars fortaſſe ita gravis non ſit, ſi ſors ipſa non excedat centenos. Sed raro intra eum numerum ſiſtitur.* Quantum colligo, quadruplex accumulatur reſponſio. ſed omnis æque inconveniens. Quid (*primo*) ad calculos & tabulas hominis noſtri tabulæ novæ faciunt? Proponere & promittere eas ſolent, qui eodem quo Catilina ſunt ingenio. Livius lib. 32. de Nabi Lacedæmoniorum præfecto: *Concione deinde advocata rogationem promulgavit, unam de tabulis novis, alteram de agro viri-*

tim

tim dividendo, duas faces novantibus res, ad plebem in Optimates accendendam. Et lib. 42. de altero quodam: *Confudit & miscuit omnia in Thessalia Perrabiaque spe novarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia sibi, Optimates opprimeret.* Nec male judicat de Tabulis novis Cicero lib. 2. de Offic. *Tabulæ novæ* (inquit) *quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum: eum tu habeas, ego non habeam pecuniam.* Ab iis tamen Adversarius argumentatur, ut videatur potuisse respondere. Qui largius suo non modo, sed & alieno usi, debita expungere non possunt, execrari ordinario quidem solent, & creditores, & leges de fœnore: sed, ut juxta Senecam Consol. ad Marciam cap. 1. *Pessimi est debitoris, creditori facere convitium*; ita male sani est Grammatici, ut sententiam solo tibicine Grammatico suffultam tutari queat, à seditiosis decoctoribus argumentum petere ad illa improbanda, quæ publice visa fuerunt utilia. *Deinde*, quid ad rem, si aliquæ civitates *vel besse vel quadrante deciderint?* earum rectores, quantum oneris pro pecuniæ usu subditis suis imponi posset, prudenter expenderunt. Romæ idem factum fuisse jam dixi, atque ideo mea de foenore unciario sententia vincere debet. Ne quis vero existimet, à me præter rationem in rep. paupere unciarium foenus Centesimæ adæquari, cogitet, ibidem prærogativam non fuisse debitoris, cujus fortunas tristis aliquis casus perdiderat, præ decoctore. Senec. lib. 7. de Benef. c. 16.

Quid

Quid tu tam imprudentes judicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent, iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam à creditore acceperat, libidine an alea absumsit, & eum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore, aliena cum suis perdidit? Nullam excusationem receperunt: ut homines scirent fidem utique præstandam. Satius enim erat, à paucis etiam justam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari. Quis credat rigidos hos justi antistites, audire voluisse illos, qui fœnoris unciarii, centesimæ æquivalentis, iniquitatem incusatum veniebant? Nec unciarium fœnus ad semunciarium redactum fuisset, nisi spes fuisset, fœneratores, qui mille artes norant illudendi legibus, ultra unciarium progressuros non esse. Quod vero tum quoque excederent, usura omnis Plebiscito est prohibita. Sed quid inde *tertio* Noster evicerit? aut quid cum ratione concludet, quod alicubi fœnoris nomen ignotum fuerit? Haud equidem ubi fœnusculum legibus est permissum, (hoc est τὸ κρινόμενον) mox redditur grande onus. Nam ideo foenus alicubi fuit vetitum, quod aut resp. absque eo posset subsistere: aut quod eo admisso, absque modo metueretur esse exercendum: aut quod civibus, qui ex lege deberent esse distincti à peregrinis, interdicta fuerit mercatura: ut docet Spartana resp. aut denique, quod de foenoris ratione homines probe non fuerint edocti. Vbicunque vero unquam foenus Jure permissum fuit, illi,

illi, penes quos fuit potestas ferendi leges, attenderunt regulam initio à nobis vindicatam, & assertam calculo ipsius Joh. Frederici Gronovii. *Quarto* & postremo Thesi non servit, quod garrit de onere semunciarii fœnoris, aggravati quasi, quod sors potuerit surgere ad multa nummorum millia. *Ipse*, vir scil. Illustris insultat mihi pag. 26. ut *Scholastico:* sed, si voluisset per hunc Scholasticum erudiri de justitia Vsuræ, quam multi Theologi quoque in universum injustitiæ arguunt, didicisset usuras ad modum compensationis admitti & solvi, quod, qui accepit sortem, eam honeste præsumatur collocaturus esse, & tantum lucraturus, ut usuræ graves nullo modo sint futuræ. Etenim juxta Paulum leg. 16 .ff. de Vsur. *Iniquum est usuras ab eo exigi, qui fructus non percepit.* Ganeones, similesque, qui & ipsius sortis, sive grandis, sive exiguæ sunt decoctores, hic attendi non debent, atque per errorem summum ab illo, qui & Jurisconsultus est, producuntur. Transirem ad *tertium* meum argumentum, nisi manum injiceret lepida atque simul homine Nostro dignissima fabula. Pag. 26. *ita lego:* At in vicina Frisiæ Saxonia novimus possessores, qui à viginti annis & fœnus & sortem debent, quibus non dico semunciam, ne scriptulum quidem centesimæ annuum extorqueant creditores. Ad prætorem ibis? hypothecas dices commissas? Recte: addicetur tibi ager, sed ita gravatus censu, ut, nisi parcissime ac durissime, non alat

exer

de fœneratoribus fuerunt; ita potissimum excessum Centesimæ respexerunt. Quæ cum fuerit concessa, quorsum unciarium fœnus aliò trahitur? Cum sub Tiberio populus de fœnoris incommodis quereretur, teste Tacito, *trepidi Patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam à Principe petivere.* Quis dubitet, multis seculis ante, utrumque ordinem, Laticlavios & Angusticlavios, per fœneratores quoque collocasse suam pecuniam? At, quis existimet eos populo tantum gratificari voluisse, ut duodecima centesimæ pars ordinarii fœnoris regula esset? Ne ipse quidem Gronovius (qui hominem domi cognoverunt, affirmant) si jus habuisset sedendi in Orchestra, hoc concessisset. Ipsos Senatorii ordinis viros, quod pecunia abundare soliti essent, fœneratoribus clanculum favisse quis dubitet? Iis enim olim omnis fœneratio interdicta fuit, ut viri docti jam olim observarunt ex hom. 57. Chrysost. in cap. 27. Matth. Vnde & Augustinus dicit in Quæst. Vet. Test. *Senatoribus fœnus diffamia fuit.* Postea ei rei modus datus est, per Impp. Arcadium, Honorium, & Theodosium, qui leg. 4. Cod. Theod. de Vsur. sic rescripserunt Optato: *Senatores sub medietate centesimæ usuræ ad contractum ecrditæ pecuniæ censemus admitti.* Quod Tiberius sciret Senatores pecunia affluere, & eam fœneratoribus credere, cum pauperibus fœnore oppressis vellet succurrere, jussit δισχιλίας μυριάδας ὑπ' ἀνδρῶν βουλευτῶν ἀτοκεὶ τοῖς δεομέ-

τοις

νοις ἐς τρία ἔτη ἐκδανεισθῆναι, ut loquitur Dion. lib. 58. Dici posset, aliquando omne fœnus legibus prohibitum fuisse; sed, modo ad illud respondebitur. Hoc interim auctarium accedat vindiciis primi argumenti. *Secundum* meum argumentum his verbis conceptum erat: *Quis sibi persuadeat, plebem Romanam indignatam fuisse, quod ex præscripto* XII. *tabularum usuræ loco, quoque anno, unam centesimam sortis partem solvere debuerit, atque T. Manlio Torquato & Cn. Plautio Coss. decennio post, semunciarium fœnus ex unciario fieri debuerit, quod hoc plebi nimis grave foret, siquidem Liv. lib. 7. cap. 16. unciarium fœnus ad M. Duillii rogationem (quæ decennio solum ante lata erat) post* XII. *tabulas refert. Verba hæc sunt:* C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario fœnore à M. Duillio Tribuno pl. rogatio est perlata: & plebs aliquanto cupidius eam scivit, accepitque. *Si possit exemplum dari ullius nationis, quæ adeo & argenti fuerit inops, & usurarum impatiens, ut potuerit sortem accipere, sub conditione solvendi annuatim centesimam duntaxat istius partem, eaque usura insignis adhuc oneris rationem habuerit, lubens fatebor, hisce rationibus nihil momenti inesse.* Non est, quod Adversarius, more hominum suæ professionis, pag. 24. & seq. multos nodos in scirpo quærat, ut videatur grande quid præstitisse, secundum temporis articulos illa quasi reformando, quæ in Argumento meo probe cohærent. Parum quoque refert, Manlio, Cajo an Cnæo prænomen

 fuerit,

fuerit, quum utrumque libri editi exhibeant: Vt argumentum meum magis ſtringat, priuſquam occurro illis, quæ opponuntur, alio adhuc nodo, eoque plus quam Gordio firmatum ibo. Fatetur Adverſarius, uſuras fuiſſe menſtruas apud Romanos, quoque etiam menſe exſolvi conſueviſſe. Fingamus ergo, Titium accepiſſe à Cajo quinquaginta numos ſeſtertios, & pro uſu promiſiſſe fœnus ſemunciarium, quod annuo ſpatio, quartam ſeſtertii partem conficiet: Cajus autem menſibus ſingulis uſuras ſolvere voluerit, quis tam peritus fuerit Calculator, qui ad pecuniam Romanam tantillum reducere poſſit, aut, quis dixerit exili illi fœnori numum quoque reſpondiſſe? Sed demus reſpondiſſe, quis voluerit tantillo vel pecuniam ſuam collocare, periculum ſuſtinere, ſimul & tabulas conſcribere, aliaſque moleſtias devorare. Acceperim à Dn. Adverſario, jam Poſidonio, moribus Romanis quinquaginta florenos noſtrates, & promiſerim fœnus ſemunciarium, ea lege, ut quoque menſe ſortem cum fœnore reſtituere poſſim. Redeam autem primo menſe, & exhibeam tres deutas noſtrates cum quadrante, an propterea voluerit Calendarium ſuum conſcribillare, metuere per integrum menſem ne malum nomen ſim, tabulas ſimul conficere & abolere? Haud equidem crediderim, ſi audierit quoque ex Plauti ſui Moſtellaria *Miſargyrides.* Magiſtratus quando leges de foenore ferunt, non modo conditionem ſuorum ſubdi-

ſubditorum attendere ſolent, verum etiam iis, qui pecuniæ ſuæ uſum, ſtipulando uſuras, aliis concedere poſſunt, ſic ſuccurrunt, ut ſemper inveniantur, qui in illa mutuo danda nolint eſſe difficiles. Neutiquam vero hoc circa foenus ſemunciarium, ex Adverſariorum mente ſi explicetur, ſubſiſtere poteſt. Nec eſt, quod aliquis odioſe Lombardos noſtros objiciat, quod exile foenuſculum ſæpe ingentes iis labores creet. Hoc enim penſatur aliis emolumentis, longe majoribus. præterea, ob pignus ſemper iis licet eſſe ſecuris & ſortis & foenoris. Sed quis idem dixerit de Roma, ſi ibi foenus ſemunciarium, ex Adverſariorum mente intelligendum, aliquando ſolummodo exigere licuerit? Hæc πάρεργα. Quid vero præcedenti argumento, prout primo propoſitum erat, Adverſarius opponit? Varia accumulavit, ſed plane ἀπροσδιόνυσα. Pag. 21. hæc offendo: *Reſpondeo*, &c. *An non planis verbis Liv. lib.* 7. Etſi unciario foenore levata uſura erat, ſorte ipſa obruebantur inopes, nexumque inibant. *Si ſortem ipſam ſolvere grave erat*, *ſi* ſorte *ſola ſine ullo augmento* obruebantur, *quidni grave erat*, *quantillum ſupra ſortem accedebat?* Si Noſter conſuluiſſet eundem illum, virum forte Reverendum, à quo de Lombardis ſe edoctum fatetur pag. 7. non ignoraret, ex infima quoque plebe homines, qui veſtes & neceſſaria vaſa oppignerata habent, uſuras, quotieſcunque pignorum inſtat diſtractio, ad aſſem exhibere, ſortem vero ne poſt plures quidem an-

nos, quibus fœnus solverint, pro pignoribus suis recuperandis, solvere posse. Ponderis aliquid responsioni huic inesset, nisi fœnus ex consuetudine Romana, ante sortem exsolvi debuisset. Si ignoret Noster, discat ex Plauti Mostellaria. Cum Tranio diceret: *Sortem accipe.* Danista respondit: *Immo fœnus: id primum volo.* Fœnoris solutio, pauperiores quoque minus gravare solet, quam sortis. Eoque vere testatur Livius, populum Romanum *sorte* fuisse *obrutum*, postquam scil. fœnus, ex consuetudine prius solvisset. *Proxime* pag. 22. & 23. sic ex Livio instat: *Cæterum in hoc Livii loco notanda etiam illa verborum consecutio:* etsi unciario fœnore, tamen sorte ipsa. *Quis hic tam subitus saltus ab unciario fœnore ad nudam sortem; si unciarium* fœnus *tam longe à nuda sorte distabat, ut genus usuræ esset maxime maleficum? Cur idem hiatus apud Tacitum:* sanctum, ne quis unciario, &c. dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura. *Cur post semuncias vetita? Si* semunciæ *sunt semisses, & hæ quoque onerosæ, saltem quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, & quas quo nomine appellem, ignoro.* Sed cur hic factus fuerit saltus, à semisse, seu semuncia non ad trientes, quadrantes, & sextantes, sed fœnus omne fuerit abrogatum, supra, post Curculionem Tacitus nos docuit. Verba Scriptoris iterum exhibeo: *Multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursum oriebantur.* Ne

autem

autem fœnerari liceret, Romæ multis annis, post T. Manlium Torquatum, & C. Plautium Coss. effecit L. Genutius Trib. Pl. Ita enim Livius lib. 7. cap. 42. *Præter hæc* (inquit) *invenio apud quosdam L. Genutium Trib. Plebis, tulisse ad populum ne fœnerari liceret.* Quæret iterum Adversarius, cur non usuræ sextantes, quadrantes, aut trientes jure receptæ fuerint? Sed si semunciarium foenus, ex suo sensu Centesimæ vigesima quarta pars, oneris singularis rationem habuerit, caussa non est, cur de sextantibus, quadrantibus, aut trientibus quæramus? Cum vero fallatur toto coelo in explicando unciario & semunciario foenore, rationem dicam, cur lege sextantes, quadrantes, aut trientes usuræ receptæ non fuerint. Locupletiores, ex ipso Senatorio quoque ordine (ad hoc probandum supra adductus fuit Tacitus) apud foeneratores levioribus usuris pecuniam suam collocare solent, quam illi grandioribus dein mutuò dabant. Vlpianus leg. 7. §. 2. ff. Depositi: *Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum: hoc est, eorum, qui depositas pecunias habuerunt, non quas fœnore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipsos exercebant.* Suet. lib. 2. cap. 39. de Octavio Augusto: *Notavit aliquos, quod pecunias levioribus mutuati, graviore fœnore collocassent.* Quod ergo locupletiores minus quam semisse, cum argentariis (qui pro arbitratu suo, in fraudem legum, foenus exercere solent) transigere nollent, passi fuerunt

fuerunt per Plebiscitum omni foenore interdiceretur. Priusquam pergo in examinandis Adversarii responsionibus, novum argumentum, ex iis, quæ observata sunt, se sistit. Quum locupletiores (patet quoque ex Plauti Mostellaria) foeneratoribus pecunias suas, certam usuram stipulando, ut ea foenerarentur, credere consueverint, quantillum locupletiores acceperint, si Jure foeneratores, non nisi duodecimam centesimæ partem, & aliàs, non nisi vigesimam quartam stipulari potuerint? Necessum ergo unciarium & semunciarium foenus ex nostro sensu explicentur. Porro, ut & Manutio viro doctissimo, & mihi testatum faciat, unciarium & semunciarium foenus, ex sua mente intelligendum, Romæ onus grande censeri debuisse; pag. 25. ita profatur è sua Cathedra, non vero Tripode: *Sed & præsto sunt exempla omnium civitatum, quæ tabulas poposcerunt novas, quæ quadrante aut besse deciderunt, quæ omne fœnus vetuerunt. Præterea centesima sortis annua pars fortasse ita gravis non sit, si sors ipsa non excedat centenos. Sed raro intra eum numerum sistitur.* Quantum colligo, quadruplex accumulatur responsio. sed omnis æque inconveniens. Quid (*primo*) ad calculos & tabulas hominis nostri tabulæ novæ faciunt? Proponere & promittere eas solent, qui eodem quo Catilina sunt ingenio. Livius lib. 32. de Nabi Lacedæmoniorum præfecto: *Concione deinde advocata rogationem promulgavit, unam de tabulis novis, alteram de agro viritim*

tim dividendo, duas faces novantibus res, ad plebem in Optimates accendendam. Et lib. 42. de altero quodam: *Confudit & miscuit omnia in Thessalia Perrabiaque spe novarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia sibi, Optimates opprimeret.* Nec male judicat de Tabulis novis Cicero lib. 2. de Offic. *Tabulæ novæ* (inquit) *quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum: eum tu habeas, ego non habeam pecuniam.* Ab iis tamen Adversarius argumentatur, ut videatur potuisse respondere. Qui largius suo non modo, sed & alieno usi, debita expungere non possunt, execrari ordinario quidem solent, & creditores, & leges de fœnore: sed, ut juxta Senecam Consol. ad Marciam cap. 1. *Pessimi est debitoris, creditori facere convitium*; ita male sani est Grammatici, ut sententiam solo tibicine Grammatico suffultam tutari queat, à seditiosis decoctoribus argumentum petere ad illa improbanda, quæ publice visa fuerunt utilia. *Deinde*, quid ad rem, si aliquæ civitates *vel beſſe vel quadrante deciderint?* earum rectores, quantum oneris pro pecuniæ usu subditis suis imponi posset, prudenter expenderunt. Romæ idem factum fuisse jam dixi, atque ideo mea de foenore unciario sententia vincere debet. Ne quis vero existimet, à me præter rationem in rep. paupere unciarium foenus Centesimæ adæquari, cogitet, ibidem prærogativam non fuisse debitoris, cujus fortunas tristis aliquis casus perdiderat, præ decoctore. Senec. lib. 7. de Benef. c. 16.

Quid

Quid tu tam imprudentes judicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent, iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam à creditore acceperat, libidine an alea absumsit, & eum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore, aliena cum suis perdidit? Nullam excusationem receperunt: ut homines scirent fidem utique præstandam. Satius enim erat, à paucis etiam justam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari. Quis credat rigidos hos justi antistites, audire voluisse illos, qui fœnoris unciarii, centesimæ æquivalentis, iniquitatem incusatum veniebant? Nec unciarium fœnus ad semunciarium redactum fuisset, nisi spes fuisset, fœneratores, qui mille artes norant illudendi legibus, ultra unciarium progressuros non esse. Quod vero tum quoque excederent, usura omnis Plebiscito est prohibita. Sed quid inde *tertio* Noster evicerit? aut quid cum ratione concludet, quod alicubi fœnoris nomen ignotum fuerit? Haud equidem ubi fœnusculum legibus est permissum, (hoc est τὸ κρινόμενον) mox redditur grande onus. Nam ideo foenus alicubi fuit vetitum, quod aut resp. absque eo posset subsistere: aut quod eo admisso, absque modo metueretur esse exercendum: aut quod civibus, qui ex lege deberent esse distincti à peregrinis, interdicta fuerit mercatura: ut docet Spartana resp. aut denique, quod de foenoris ratione homines probe non fuerint edocti. Ubicunque vero unquam foenus Jure permissum fuit, illi,

illi, penes quos fuit potestas ferendi leges, attenderunt regulam initio à nobis vindicatam, & assertam calculo ipsius Joh. Frederici Gronovii. *Quarto* & postremo Thesi non servit, quod garrit de onere semunciarii fœnoris, aggravati quasi, quod sors potuerit surgere ad multa nummorum millia. *Ipse*, vir scil. Illustris insultat mihi pag. 26. ut *Scholastico*: sed, si voluisset per hunc Scholasticum erudiri de justitia Vsuræ, quam multi Theologi quoque in universum injustitiæ arguunt, didicisset usuras ad modum compensationis admitti & solvi, quod, qui accepit sortem, eam honeste præsumatur collocaturus esse, & tantum lucraturus, ut usuræ graves nullo modo sint futuræ. Etenim juxta Paulum leg. 16 .ff. de Vsur. *Iniquum est usuras ab eo exigi, qui fructus non percepit.* Ganeones, similesque, qui & ipsius sortis, sive grandis, sive exiguæ sunt decoctores, hic attendi non debent, atque per errorem summum ab illo, qui & Jurisconsultus est, producuntur. Transirem ad *tertium* meum argumentum, nisi manum injiceret lepida atque simul homine Nostro dignissima fabula. Pag. 26. *ita lego*: At in vicina Frisiæ Saxonia novimus possessores, qui à viginti annis & fœnus & sortem debent, quibus non dico semunciam, ne scriptulum quidem centesimæ annuum extorqueant creditores. Ad prætorem ibis? hypothecas dices commissas? Recte: addicetur tibi ager, sed ita gravatus censu, ut, nisi parcissime ac durissime, non alat

exer-

exercentem, & gravandus magis, si domino locupleti cessisse intelligant regnantes. *Explicit narratio.* Credo quod in animo habuerit avitum in Chaucis agellum, hoc tempore Suecis vectigalem. Si fabella hæc à garrula anu narraretur, risu expianda esset. Quid ei decernas, quum à Dictatore literariæ reip. serio non modo narretur, sed & inculcetur? Quando secundum leges aliquis fœnus stipulatur, præsentem conditionem illius attendit, cui pecuniam suam credit: quem si belli calamitas, aut alia vis major afflixerit, creditor ad tempus & sorte & usuris carere quidem cogitur, debitum tamen non expungitur. Et, ut juxta Ciceronem lib. 2. de Off. *nulla res vehementius Remp. continet, quam fides, quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum*; ita, simul ac afflictus debitor respirare cœperit, compellari potest & de usura & sorte. Creditor, si aut negligens fuerit, aut sumptus facere noluerit, ut suum consequatur, sibi imputare debet. Probandum alias, quod habet Seneca lib. 4. de Benef. cap. 39. *Pecuniæ etiam male creditæ exactio est. Et appellare ad debitorem ad diem possum, & si foro cesserit, portionem feram.* Pergo ad vindicandum tertium meum argumentum. Illud hisce verbis *proposueram*: Testatur Capitolinus de Antonino Pio, tanquam aliquid singulare & sine exemplo, quod *fœnus trientarium exercuerit, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret.* Quod Pii exemplum, teste Ælio Lampridio, non modo secutus

fuit,

fuit, verum etiam superavit optimus Imp. Alexander Severus. Nam & ille *fœnus trientarium*, sed ita *exercuit, ut pauperibus plerisque sine usuris pecunias ad agros emendos dederit, reddendas de fructibus.* At, quorsum ut singulare quid notatum fuisset, ab utroque Principe exercitum fuisse foenus trientarium, si unciarium & semunciarium foenus, à primis ferme reip. incunabulis legibus definitum, ita accipi debeat, ut unciarium foenus sit duodecima pars centesimæ, semunciarium vero duntaxat vigesima quarta. Certe, si centum denarii ad foenus trientarium dati annuatim quaternos denarios pariant, & usurariæ clementiæ documentum singulare exhibeant, næ multo majorem clementiam evincere debebit foenus unciarium, ad quod, (modo credamus viris eximiis) si crediti fuerint eidem centum denarii, annuatim singulos solummodo denarios profundent creditori. Quis vero credat, ratione trientarii foenoris, tum Antonini Pii, tum etiam Alexandri Severi moderationem laudaturos fuisse Capitolinum & Lampridium, si foenus unciarium, acceptum è mente virorum doctorum, jam olim ipsis XII. Tabulis definitum fuerit. *Hæc ego.* Quibus Adversarius pag. 26. & 27. opponit, *quæ sequuntur*: Quærit, quorsum ut singulare quid notent historici, à Pio & Alexandro Cæsaribus exercitum fuisse foenus trientarium, si major clementia fuisset unciario gaudere? Quærat igitur etiam cur laudetur Augustus, quod non regno, neque

neque dictatura composuerit rempublicam, quam fuisset nobilius reddere Senatui & populo. Discat ab Hieronymo, *de gratuito non judicare, & equi dentes non inspicere donati.* Ea tum erant tempora & ita grassabatur fœnus, ut illa modestia ævi à nemine esset postulanda, & valde civiliter ageret, siquis trientibus contentus esset. Non magnum erat trientes usuras pati, quum pius ille bonusque Theodosius simul cum Gratiano & Valentiniano judicatos post alterum mensem binas centesimas æris debiti solvere jusserit? quod si contractus ex stipulatione descendat, & usuræ per annorum curricula casu summam sortis æquaverint, post sententiam insontem duplam centesimam, in usuras tanquam novam sortem, simplam præstari? Cognoscat hoc ex l. un. Cod. Theod. de usuris rei judicatæ. *Hæc & Adversarius.* Verum cogor hæc vocare κωφὰ βέλη, siquidem non feriunt. Ex mente Adversarii, Lex XII. Tabularum gravissimum fœnus voluerit esse Vnciarium, hoc est 12. Centesimæ partem. De Jure autem XII. Tabularum non modo Cicero dicit lib. 1. de Orat. *Fremant omnes licet, dicam quod sentio, Bibliothecas me Hercule omnium Philosophorum, unus mihi videtur* XII. *Tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.* Sed Justiniani quoque hoc est elogium leg. pen. Cod. de legit. hæred. *Lege* XII. *Tabularum bene humano generi prospectum.* Cur non ergo optimi

mi Principes, ut Populo gratificarentur, jusserint potius fœneratores attendere ad XII. si, ut ipse contendit, tam exile fuerit fœnus unciarium? Quæ ex Hieronymo addit, illis quoque nota, *qui nondum ære lavantur.* Sed probare debuisset *ea fuisse tempora, & ita grassatos fœneratores, ut modestia veteris ævi à nemine esset postulanda.* Vt gratis hæc finguntur, in gratiam fœnoris Vnciarii, velut duodecimæ partis Centesimæ; ita gratis à nobis rejiciuntur. Corruptissima necessum est fuerint tempora, quibus cum domi pax esset & provinciæ pacatæ, optimi & prudentissimi Principes fœneratores in ordinem redigere non potuerint. Et tamen coërcendis iis par fuit Tiberius, Dione teste lib. 58. item Claudius, fidem faciente Tacito lib. 11. c. 13. Non video, unde Antonino Pio, & Severo Principi major difficultas objici potuerit, quam Diocletiano & Maximiano Impp. quorum hæc est constitutio leg. 20. Cod. ex quib. causs. infam. irrog. *Improbum fœnus exercentibus, & usuras usurarum illicite exigentibus, infamiæ nota irroganda est.* Principes, aliive Magistratus, quibus modo Jurisdictio competit, legibus fœnus circumscribant, & noti erunt fœneratores. qui quamvis, ut jam observatum, artibus sine numero instructi sint, quibus Juri fraudem faciant, compesci tamen poterunt, si deprehensi infames habeantur. Fœneratores autem secundum sequiorem sensum omnes illos habeo, qui usuræ modum Jure definitum excedunt.

C Noster

Noster ignorare non deberet: quod sui Jcc. hoc vulgo, sed interim recte, colligant ex leg. 28. Cod. de Vsur. Sed ideo Principes optimi *Fœnus trientarium exercuerunt*, quod Vnciarium publice receptum Centesimæ æquivaleret. illud si levius Centesima fuisset, prostituissent se, *trientarium exercendo*. Fatuus est ille Princeps, qui gloriam captat ex fœnore per suam aut constitutionem, aut singulare beneficium diminuto, si Jus ordinarium quod publice receptum est, & quo omnes tenentur, multo minus definiverit. Postremo, ne tertium hoc argumentum, hactenus inconcussum, valeat; trahor obtorto quasi collo ad leg. unic. Cod. Theod. de usur. rei judic. legem ipsam adducere debuisset Adversarius. *Ea ita habet*: Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, AAA. Eutropio. Pf. P. Qui post judicii finem, exceptis duobus mensibus, quibus per legis solutionem nonnunquam est concessa dilatio, moram afferent solutioni, à die patrati judicii, quo obnoxii redditi sunt, in duplicium centesimarum conveniantur, usuras extrinsecus scilicet medietatem debiti de quo litigatum est, sicut prius constitutum est, inferentes usque in id tempus quo debitum solutione diluerint. Quod à nobis exemplo æquabili ex juris prisci est formulis introductum, ut quia malæ fidei possessores in fructus duplos conveniuntur, æquè malæ fidei debitores simile damni periculum persequatur. Sed tamen creditor ternis interjectis mensibus

ſibus poſt ſententiam, conteſtari moram debebit adhibitæ tarditatis, ut ei centeſimarum duplicium fructus poſſit acquiri. Cavendum quippe ex diverſo eſt etiam contra illam malitiam creditorum, ne judicatis ad ſolutionem cunctantibus, incipiant ſpe dupli fœnoris imminere, quidquid judicatum, ſi hanc pœnam à ſe removere feſtinent, contractam pecuniam vel apud judices obſignatam locare, vel judicio conveniat offerre, ut periculum duplicium uſurarum incurrere ex ea die, qua obnoxius eſſe cœperit, deſiſtat. Diſtinguendum vero hoc quoque arbitrati ſumus, ut ſi contractus debiti ex ſtipulatione deſcendit, & caſu uſuræ per annorum curricula ſummam capitis impleverint, ſcilicet ut quantitas ſortis, quantitati fœnoris adæquetur, poſt ſententiam uſuræ duplicis non utriuſque debiti currant, ſed capitis quidem duplæ, uſurarum vero ſimplæ. Dat. xv. Kal. Jun. Theſſal. Gratiano V. & Theodoſio I. AA. CONSS. *Hucuſque Imperatores.* at quomodo hi prodeſſe poſſunt, quum loquantur de Vſuris punitoriis, quæ, ut dicit Paulus IC. leg. 17. §. 3. ff. de Vſuris, *non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſolventium infliguntur?* Hæ uſuræ modum accipiunt per judicem arbitrantem. Nos vero hîc diſputamus de Vſuris, quæ ex contractu deſcendunt. Sed viderit Adverſarius, quid proſit digitum in hanc legem intendiſſe. Impp. teſtantur ſe *progredi ex priſci juris formulis*; hoc eſt, juxta Duodecim Tabulas, ut antea evicimus, hoc

 intel-

intelligendum esse. Sed XII. Tabulæ non meminerunt Centesimę, verum fœnoris unciarii: necessum ergo est, ipse Adversarius fateatur, (nisi conscientiæ suæ vim facere voluerit) illud, quod in XII. Tabulis, seu *jure prisco*, fœnus unciarium vocatur, idem per omnia esse cum Centesima. Et hæ quidem hactenus sunt vindiciæ meorum Argumentorum, quæ arrodere potuit Adversarius, non tamen evertere. Dum ea vindicavi ab ipsius ineptiis, multiplicata sunt. Tres Velites (ipsi tamen inexpugnabiles) antehac præmisi, ut explorarem quid aceti homini in pectore esset. Illis quinque Triarios succenturio. contra quos quæ directurus sit tela, patienter expecto. *Primo* resumo locum Dionis Cassii lib. 51. supra adductum. Testatur Historicus usque ad Augusti triumphum Romæ δανείσματα fuisse ἐπὶ τῇ δραχμῇ, quæ scil. quoque mense solvebatur, & ratione duodecim mensium Centesimam explebat. Hæc enim erat ordinaria Usura: quam ad Trientem redegerunt nummorum acervi, Romam deportati. Non puto adeo impudentem fore Adversarium, ut Centesimam dicat fuisse Usuram ordinariam illis, qui in foro mensas habebant. Dion de ea loquitur ut legitima & jure concessa. Quæ aliæ vero hîc leges occurrunt, quàm XII. Tabularum, in quibus fœnus unciarium vocatur, quod postea usitatius præeuntibus Jcc. (quidquid Noster quoque censeat) Centesima dici cœpit. Si possit vel aliam Legem, vel aliud Senatusconsultum,

tum, vel Plebiscitum adducere, quo Centesima opposite ad fœnus unciarium, quod secundum ipsum duodecima Centesimæ pars, permissa in Vrbe fuerit ut ordinaria Vsura, manus dabo, & publice errorem profitebor. Interim dum per Vtopiæ tabularia Legem hanc investigat, hæc mea ratio stabit inconcussa. *Secundo* consideramus quid obvenerit Ciceroni Oratorum Principi, cui inter alia carcinomata summas molestias æs alienum exhibuit. Lib. 5. Famil. Epist. per jocum licet, ad Sextium scribit: *Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, si quis me recipiat*, &c. Laboravit hic non suo solum nomine, sed & alieno. Cum Ciliciæ Proconsul esset, Salaminii à Bruti familiaribus pecunias acceperant, per imprudentiam in Syngrapha quaternas Centesimas promittentes: sed cum Bruti familiares viderent sibi obstare Legem Gabiniam, cujus duo erant capita: Vnum, ne cuiquam in provinciis dare acciperevе pecuniam in versuram liceret: Alterum, ne gravior usura per provincias quam Centesima foret; confugerunt ad duo Senatusconsulta de illa Syngrapha facta. Hæsit vero hic Cicero, (videatur ep. ult. lib. 6.) veritus ne ex S. C. cogeretur jus dicere de *quaternis Centesimis*. Sed postea animadvertit illud S. C. non de quaternis exigendis cavere, sed ne fœneratores sortem ipsam amitterent, quia contra legem Gabiniam dedissent, neve Salaminii mulctarentur, qui contra eandem Legem accepissent. Re-

medio autem fuit alterum S. C. iisdem Coss. nempe, Lentulo Philippoque conditum, quo statuebatur, ut jus diceretur ex illa Syngrapha, qua Salaminii Scaptio debebant, cui singulas solum Centesimas promiserant; quamquam hic (quæ erat hominis impudentia) ex altera Syngrapha quaternas exigeret. His præmissis, attendamus ad sequentia. 1. Lege Gabinia licitum fuit per provinsias Centesimis contrahere. 2. Has Senatus in Contractu Salaminiorum ut justas probavit; 3. De iis ut justis Cicero jus dixit. Quæ vero iniquitas fuisset, si Romæ per leges XII. Tabularum, 12. solum Centesima pars (hoc Adversario est fœnus unciarium) maxima usura fuisset, & tamen promiscue omnibus, lege quoque lata, Centesimis in Provinciis fœnerari licuisset? Næ *fœnus* hoc *injustissimum* fuerit juxta Arnob. lib. 2. contra Gent. Ego aliud mihi persuadeo de justitia Romanorum. Cicero de se & æqualibus dicit lib. 1. de Orat. sub persona Marci: *Discebamus nos pueri* XII. *ut carmen necessarium.* respicit vero XII. Tabulas, quæ Livio lib. 3. teste, *immenso* quoque *aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique* fuerunt *juris.* Quis ergo certò non credat, Patres conscriptos XII. respexisse, cum per provincias fœnus ordinarent. Alii aliud existiment, putem ab iis non recedere legem Gabiniam, atque easdem in animo habuisse Lucullum, cum (teste Plutarcho in Lucul.) per Asiam omnes majores usuras rescinderet;

atque

atque permitteret fœnoris nomine non amplius exigi quam Centesimam. Secus qui statuunt, viderint quomodo Senatum Romanum ab iniquitate & injustitia immunem præstent. *Tertium* Argumentum sit hoc: Quanquam Centesima (ut ipse Adversarius testatur) Romæ usura maxima, & As quasi usurarius fuerit, non semper tamen argentarii Centesimis suam pecuniam mutuare potuerunt, tempore Ciceronis quoque: sive, quod publice pecuniarum abunde esset, sive, quod locupletiores præsenti pecunia non indigerent. Inde hæc querela Danistæ apud Plautum:

Scelestiorem ego Annum locando argento fœnori
Nunquam ullum vidi, quam hic mihi Annus obtigit:
A mane ad noctem totum usque in Foro dego diem:
Locare Argenti nemini nummum queo.

Nullibi autem legitur, quod fœnus adeo leve fuerit, ut non surrexerit ultra duodecimam Centesimæ partem. quod factum tamen oportuisset, si ipsis LL. XII. Tabularum, hæc usura, ut maxima definita fuisset. Lego quidem apud Ciceronem lib. 4. ad Att. ep. 15. *Fœnus ex triente Idibus factum erat Bessibus.* Sed, quanta distantia non intercedit inter trientem & unciam unam? quodque tam repente à triente ad bessem fuerit deventum, imputari debet ambitiosissimæ Candidatorum nationi. Alias Centesimæ erant ordinariæ, nec eas argentarii solum stipulabantur, sed alii quilibet Romæ. Cicero lib. 1. ad Att. ep. 12. *A Cæcilio* (inquit)

minore Centesimis nummum movere non possunt. Quis sibi vero persuadeat, Leges XII. Tabularum hoc seculo, & præcedentibus aliis dormivisse, & non puniisse illos, qui in tantum excederent usurariam formulam: maxime quod parati essent *Quadruplatores*, qui tales accusarent. Asconius ad Cicer. Divinat. *Alii dicunt, Quadruplatores esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant, ut aleæ, aut pecuniæ gravioribus usuris feneratæ, quam pro consuetudine: aut ejusmodi aliorum criminum.* Sed quod unciarium fœnus Centesimæ æquivaleret, qui Centesimis fœnerabantur, contra XII. Tab. non peccabant. *Quartum* Argumentum suppeditant ipsi Pandectæ, quorum non potest non callentissimus esse Gronovius, Jurium Doctor, Antiquarius, Historicus, &c. In iis sæpius non modo simpliciter mentio fit Centesimæ, verum etiam ut usuræ legitimæ. De quo ne quis dubitet, probatum ibo. Centesimæ usuræ *maximæ* sæpius vocantur à Tryphonino l. 38. ff. de Neg. gest. ab Vlpiano l. 7. §. 4. ubi agens de tutoribus, qui in usus suos converterant pupillorum pecunias, dicit eos *præstare legitimas usuras*, intelligendo Centesimas, quas postea *gravissimas* vocat. quomodo & Tryphoninus easdem usuras intelligendo, dicit l. 54. ff. eod. tit. *Non existimo maximis usuris subjiciendum eum, qui à contutoribus suis mutuam pecuniam pupilli accepit.* Et Papinianus l. 1. §. 3. ff. de Pignor. & hypoth. *Pacto placuit, ut ad diem usuris non solutis,*

fructus

fructus hypothecarum usuris compensarentur fini legitimæ usuræ. quamvis exordio minores in stipulatum venerint, non esse tamen irritam conventionem placuit: cum, ad diem minore fœnore non soluto, legitimæ majores usuræ stipulanti recte promitti potuerunt. Vbi legitimæ *usuræ majores* (Centesimæ maximæ erant) *minori fœnori* aperte opponuntur. Quæro, quare Centesimæ usuræ legitimæ vocentur? Notum est, apud Jcc. illud legitimum censeri, quod ex aliqua lege descendit. Vnde illud Pauli l. 6. ff. de Pactis: *Legitima conventio est, quæ lege aliqua confirmatur.* Eoque Centesimæ usuræ lege aliqua definitæ fuerunt. Sed quęnam illa Lex fuerit? Doctiss. Brissonius, (eum sequitur Dionys. Godofredus in d. l. 1. de Pign.) lib. 2. Antiq. Jur. Civil. cap. 1. putat intelligendam esse Legem Gabiniam, & quædam Senatusconsulta, eodem forte tempore cum lege Gabinia condita. Verum ex Cicerone, qui hîc ad suffragium vocatur, nihil aliud eviceris, quam Legem Gabiniam (Cicero lib. 6. ad Att. ep. 2. *Auli legem* vocat, quod Gabinio Auli prænomen fuerit) per provincias fœnus ordinasse, & prohibuisse excedere Centesimas. Quando autem Jcc. Romani absolute aliquid pronunciant legitimum esse, quod Legi sit consentaneum, talem potissimum Legem respiciunt, quæ in ipsa Vrbe inter Quirites valuit. Necessum ergo est, pręter legem Gabiniam alia Lex detur. Nulla vero præter eam, quæ in XII. occurrit, datur, in qua unciarium fœnus vocetur, quod subsequen-

quentibus seculis usitatius usura Centesima dici cœpit. Sic & *legitimæ Tutelæ sunt, quæ lege duodecim tabularum adgnatis delatæ sunt, & consanguineis, item patronis*, ut loquitur Ulpianus l. 1. ff. de Legit. tutor. Superest *Quintum* Argumentum, quod instar omnium esse potest: cum solum negotium hoc conficiat. Cato in Præf. lib. de R. R. ita ad filium: *Majores enim nostri sic habuerunt, & ita in Legibus posiverunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli.* Respicit leges XII. Tabularum, quas & Cicero, mentione Majorum facta, commendare solet. Lib. 1. Off. *Hostis apud Majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant* XII. *Tabulæ.* Ita & legas leg. 2. Cod. Theod. de liber. caussa: *Libertati à Majoribus tantum impensum est, ut patribus, quibus jus vitæ in liberos necisque potestas permissa est, eripere libertatem non liceret*, &c. Catonem aliter intelligendum non esse, fatetur ipse Incomparabilis Salmasius, qui occasione verborum modo adductorum, sic commentatur lib. de Usuris pag. 542. *non omnem fœneratorem lex duodecim tabularum quadruplo condemnabat, sed, qui vetitum Lege modum in fœnerando excessisset. Duodecim quippe Tabulis interdictum fuit*, ne qui unciario fœnore amplius exerceret, si quis contra faceret, quadruplione luito. *Intra hunc modum igitur impunitus fœnerator, & fœnus exercere permissus.* His præstructis, Impp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius docebunt nos, quid in

Jure

Jure XII. Tabularum fœnus unciarium fuerit. Cynegio leg. 2. Cod. Theod. de Vsur. ita rescripserunt: *Quicunque ultra* CENTESIMAM JURE PERMISSAM, *quicquid sub occasione necessitatis eruerit*, QUADRUPLI POENA *& obligatione constrictus, sine cessatione, sine requie protinus ablata redhibebit.* Quid clarius dici posset? Cum Imperatores & *Juris* (Veteris scil. quod jus XII. Tabularum) & *pœnæ quadrupli* mentionem faciant, illam ipsam legem, quam D. Salmasius bona fide modo adduxit, respiciunt: atque, cum pro *fœnore unciario* substituunt *Centesimam*, hanc fœnori unciario æquivalere manifesto ostendunt. Quid ad hæc jam dicet Gronovius? Quid amici? qui cum maledicum ipsius libellum accepissent, idem se nactos putarunt, quod pueri in faba inveniunt: atque cum hoc Thesauro ad omnes cursitarunt, quos augurabantur conatibus nostris non bene velle: ut pluribus constaret, quam vapulassemus. Excutiant jam sua Adversaria, illa reconditæ eruditionis pretiosissima promptuaria, & viderint, quomodo Senatus Critici Principi, qui solus scil. novit quid *boni libri* complectuntur, succurrant. Sed habere videtur caussæ suæ præsidia? Grammatica concedo. Antea illa excutiam, quam vindicem; quæ Salmasii argumento opposui. Interim κοκκύζει & eadem Hottomanno, Manutio, Adr. Junio, Pichenæ, & mihi occinit. Omnia ad hæc redigi possunt. 1. Romanos in universum omnes

(pag.

(pag. 72.) à Romulo usque secundum usurarium assem illiusque partes in menses singulos, usuras stipulari consuevisse. 2. Hanc distributionem (p. 76.) neutiquam veteribus Jcc. esse acceptam referendam: quod sit (pag. 77.) *non veterum Jurisconsultorum inventum, sed patrumfamilias, sive qui fœnerabantur, sive qui fœnori accipiebant.* 3. Eoque, unciarium fœnus ab ipsis Reip. Romanæ primordiis, velut duodecimam Centesimæ usuræ partem æstimari debere. Hæc usque adeo verbose, confidenter, & maledice proponit, ut ab Inferis rediisse videatur Heros Homericus, qui φοξὸς ἔην κεφαλὴν, ὀξέα κεκληγὼς λέγ' ὀνείδεα. Quicunque hæc legent, putabunt me dissimulare, quæ ex *bonis suis Authoribus* attulit. Sed perlustrentur omnes chartæ, Author non occurret, vel per indicem citatus: & tamen in his narrandis, repetendis, & inculcandis æque sibi certus esse videtur, ac si Alphio à tabulis, & Macedoneo à calculis fuisset. Fidem ne inveniat, nisi forte apud improvidos adolescentes, quos circumvenit, ξὺν θεῷ curabo. Hoc solum meminisse velint Lectores, quæstionem esse, quantum valuerit Vnciarium fœnus apud cascos Romanos, speciatim in XII. tabulis. Grammaticorum juxta Assem calculos attendi non debere, patebit, ubi ex *bonis Authoribus* probatum fuerit, consuetudinem loquendi quoque seculo receptam, eum, qui audire vult Criticus Grammaticus, considerare magis debere, quam quæ Grammatici

suas

ſuas juxta regulas ineptiunt, ſi non delirant. Ergo *primo* obſervetur, quod quando de verbis explicandis ſermo eſt, primas conſuetudo ferre debeat, quum ſuffragante Quintiliano lib. 1. cap. 5. *Auctoritatem ſermonis conſuetudo ſuperet:* penes quam teſte Flacco

Arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi,

quare etiam *uſus frequens* (quod Cicero dixit Orat. pro Rab. Poſt.) *non tantum magiſter eſt artis:* ſed (ut idem teſtatur lib. 1. de Orat.) *magiſtrorum* quoque *omnia præcepta ſuperat.* Præterea *ſecundo*, Romani ſeu Latini ſermonis ratio ad eandem hanc conſuetudinem perpetuo fuit compoſita, uſque adeo, ut qui poſterioribus ſeculis vivebant, eos intelligere non quiverint, qui ad priora pertinebant. Ne jam ſollicitem Victorinum Afrum, qui lib. de Orthographia dicebat: *Antiquitatem poſterior conſuetudo vicit;* quod intendo, unius Polybii teſtimonio probari poteſt, qui lib. 3. fœdus inter Romanos & Carthaginenſes, Coſſ. Junio Bruto & Marco Horatio percuſſum interpretans, tantum inter eam linguam, ab illa, quæ ſuo tempore in uſu erat, differentiam fuiſſe innuit, ut non niſi à peritis difficulter intelligi poſſet: τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου, καὶ παρὰ ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις δι᾽ ἐπιστάσεως διακρίνειν. *Veteris ſane linguæ, etiam Latinæ, tanta diverſitas eſt ab illa, qua hodie utuntur, ut vel peritiſſimi nonnulla ægre, ubi animum*

atten-

attenderint, explanare queant. Diligenter attendi velim hæc verba: *καὶ παρὰ ῥωμαίοις. Tertiò*, quod ratione Latinæ Linguæ, in communi consideratæ verum est (teste Scriptore gravissimo) speciatim ratione juris antiqui, quod in XII. exhibetur, certissimum est: Quotusquisque Roma adhuc florente, aut illas, aut jus Aborigenum intelligere potuit? Formulæ, quibus leges illæ conceptæ, ipsis antiquis Jcc. ænigmata fuerunt. Gell. lib. 16. cap. 12. *Quari cœptum est* (inquit) *quid esset proletarius. Atque ego aspiciens quenpiam in eo circulo Jus civile callentem, rogabam ut id verbum nobis enarraret. Nam (inquam) Q. Ennius verbum hoc ex* XII. *Tabulis vestris accepit. Ego vero, inquit ille, dicere atque interpretari hoc deberem, si jus Faunorum & Aborigenum didicissem.* Senec. ep. 114. *Multi ex alieno seculo petunt verba,* XII. *Tabulas loquuntur.* Symmachus lib. 3. ep. 44. *Si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salii canunt, & Augures avem consulunt, & Decemviri Tabulas condiderunt. Jamdudum his renunciatum est, & successio temporum placita priora mutavit.* Et tamen *quartò*, seculo Augusti quoque, plurimi, ut singulares viderentur, verbis antiquis, & non modo ex XII. Tabulis, verum & Saliorum axamentis petitis, loqui affectarunt. Horat. lib. 2. ep. 1.

Sic fautor Veterum, ut Tabulas peccare vetantes
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera Regum

Vel

Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in Monte locutas.

Ad quæ ita Porphyrion: *Adeo Veteribus favet, ut etiam* XII. *Legum Tabulæ à Decemviris scriptæ, Latinæ esse videantur, ob austeram & rancidam vetustatem.* Componantur hæc, & prisci ævi vocabula atque formulas rigide ad Grammaticorum Canones exigendas non esse patebit; simul *fœnus unciarium* ipsis XII. Tabulis notum, haud æstimandum, ob rationes supra allatas, secundum recentiorem distinctionem fœnoris juxta Assis partes. Clamabit quidem Adversarius, hęc non esse consentanea artis suæ (Grammaticæ scil.) regulis, sed ex Lactantio lib. 2. cap. 7. audiat, in talibus (absit, ut ulterius hoc extendi velim) *majoribus nostris, etiam nulla ratione reddita, rationis esse credere.* Nec hominum vulgo partes assis, usuras quasi definientes, Justiniani quoque ævo, liquido notas fuisse, discat ex ipsius Novella XXXIV. ubi Imperator definiens modum usurarum, quas ab agricolis stipulari liceat, summatim hoc constituit, ut pro annua minutarum frugum usura, non amplius *octava modii* parte in singulos modios exigatur: pro usura pecuniarum, *siliqua in solidos singulos.* Cur Imperator, usurarium hunc Canonem juxta assis partes non definivisset potius, si omnes in Togata gente, omnesque in plebe Vrbana & Rustica, aut, omnes qui Latine sciebant, eas in numerato habuissent? Sed, quia hîc, ut sæpe aliàs, fallitur Adversarius,

versarius, Imperator alia formula uti voluit. Consequens ergo est, usum loquendi, quoque seculo receptum, in consilium admissa ratione, attendi magis debere, quam Grammaticorum aut Etymologias aut præcepta. Romanus populus cum à Romulo in tres partes divisus esset, quæque pars, Grammatica suffragante, Tribus dici cœpit, quod vocabulum Romæ adhuc usitatum fuit, quum amplius quam triginta tribus notarentur. Attendantur quoque anni Romani menses. Initio verum erat, quod Ovidius lib. I. Fast. dicit:

Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

Non multis autem annis post verum quoque fuit, quod mox subjicit:

At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras,
Mensibus antiquis addidit ille duos.

In usu tamen manserunt nomina antea recepta Mensium, Septembris, Octobris, Novembris, Decembris. Quum September November, October December, November Vndecember, December Duodecember dici debuissent. Sed vulgus, vocibus pro suo arbitratu, subserviente consuetudine, significationes indere solet, Grammaticis, Analogiam & Etymologias suas urgentibus, laqueum mandando. Idem contendo ratione fœnoris Vnciarii, pro usu Quiritium, & XII. Tabularum, maxime pro conditione Reip. Romanæ, neutiquam vero secundum Canones Grammaticorum, & morosos

eorun-

eorundem calculos intelligendi. Nec inconveniens esse, ut usura Centesima, Vnciaria aut Vncia vocetur, liquido ostenderam, modo admittatur Synecdoche. Prolixe quidem à pag. 27. usque ad 59. contra ea, quæ dixeram, Adversarius tumultuatur, aut verius κοκκύζει. sed tanti mihi non sunt hæc χελιδόνων μουσεῖα, ut iis obstrepam. Non hoc meum argumentum fuit: Vnciarium fœnus Centesimæ debere respondere, quod illud è principiis Salmasii & Gronovii elici posset; sed sententiam meam certissimis rationibus (quibus assentiri quilibet debet, cui modo mens sana fuerit) confirmatam, modo Synecdoche admittatur, à *principiis* illorum *non longe recedere*. Non ego assem unciæ (ut calumniatur Adversarius) aut totum parti adæquavi; sed Centesimam, ut assem Vsurarium sic Synecdochice attendi posse scripsi, ut duodena ipsius pars, ratione anni, quo solveretur, Vncia vocaretur, quæ duodecies soluta juxta duodecim menses, quibus annus constat, quum conficeret duodecies Centesimam menstruam, simul quoque mense, Centesimam sortis partem confecisse, eamque Vnciam, & Synecdochice & maxime *pro usu loquendi*, vocari potuisse, quod Centesima ut as Vsurarius ratione anni, æque duodecim partibus seu unciis quoque mense debitis constaret, atque annus totidem mensibus, aut, ut Assi cuilibet duodenæ unciæ assignari solent. Quintilianus lib. 8. cap. 6. sic dicit: *Quod aliquanto pene jam magis* de Synecdoche *dicam. Nam*

translatio promovendis animis plerumque & signandis rebus, ac sub oculos subjiciendis reperta est. Haec variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel contra. Sed perierit mihi hæc Analogia? non tamen de gradu dejici possum. Argumenta supra vindicata, & de novo allata, nullus unquam Grammaticus evertet. Omnibus illis, quæ objici possent, jam præstruxi. Tria sua postulata si æque firmaverit Adversarius (tentet, si ausit) *ex bonis suis authoribus*, cedam ultro. nec tantum cedam, sed herbam porrigam. Quæ mihi falso pag. 57. improperat, sibi vere dixisse putet: *Hæc ei ratio explicanda erat, si quam noverat: non tantummodo dicendum*, &c. Interim, priusquam pergo, quod ipse Adversarius eo nomine insultet, expendere convenit Plinii locum lib. 10. ep. 62. Ita Trajanum alloquitur: *Pecuniæ publicæ, Domine, prudentia tua & ministerio nostro etiam exactæ sunt & exiguntur: quæ vereor ne otiosæ jaceant. nam & prædiorum comparandorum, aut nulla, aut rarissima occasio est, nec inveniuntur, qui velint debere, Reip. præsertim, duodenis assibus, quanti à privatis mutuantur.* Illud *duodenis assibus* obesse sibi prævidebat, eoque p. 55. occurrit: *Quod cum insolens sit, (inquit) & contra omnem usitati his in rebus sermonis analogiam, nec simile quidquam in tota antiquitate reperiatur, docte & ingeniose suspicatus est Salmasius, Plinium scripsisse,* usuris assibus. *Sed etiamsi vulgatum retineatur, nihil*

illum

illum juvabit, qui vult idem nomen significare & menstruum & annuum: at duodeni hi asses quo pacto applicabuntur menstruo? Pensitare hæc convenit, & quidem exactè. 1. *Docta & ingeniosa* Dn. Salmasii suspicioni parum tribuit, neque etiam niti audet. 2. Et tamen se præ tanto viro, suo promotore maximo, imprudentem esse prodit; quod largiatur, vulgatam lectionem posse retineri, à qua, & quidem merito, suæ sententiæ periculum imminere Salmasius prævidebat. 3. More hominum suæ professionis, nimis quam liberaliter loquitur, quando dicit, *simile quidquam in tota antiquitate non reperiri.* A veri lineis non recessisset, si hæc verba adjecisset: *Quantum mihi, secundum meum institutum & judicium antiquos Authores legenti liquet.* Atque si scivisset rationes meas pro vera fœnoris unciarii significatione expendere, parcior fuisset. 4. Proba ergo Plinii lectio est, juxta quam quisquis debet *duodenis assibus*, simul Centesimis usuris debet. Sed Centesima, D. Salmasio teste, mensura reliquarum usurarum, & as quasi usurarius erat: eoque, qui debet duodenis assibus, usuram tantam debet, habita ratione anni. Finge jam Sejum cum Alphio in annum contraxisse usuris centesimis, & uniuscujusque mensis Calendis repræsentasse Usuras, potueritne dicere V. C. Kal. Martii accipe assem usurarium, & iterum Cal. Aprilis, accipe assem &c. Sic enim jam duplicasset centesimas, si As propriè intelligendus fuisset. Sed si acceperit V. C. centum

denarios, ut quoque mense debuerit solvere singulos denarios, simul, assis hujus annui singulas Vncias quoque mense solvendo, fidem suam liberaverit. Et tamen Plinius dixit assibus duodenis, habita ratione assis ut usurarii per annum, sed per duodenos menses distribuendi ac solvendi. Atque, ut asses pro unciis dixit, quia distributive locutus fuit, ita unciæ assi usurario annuo respondentes, quoque mense duodecimam illius partem exhibent: duodecies vero multiplicatæ, Centesimam, seu assem usurarium. Aliud non contendo. Videbat summus Salmasius vulgatam Plinii lectionem hoc probare, eoque, ne obesset, eradendo illud *duodenis*, (securus interim Mnn. Codd.) *Vsuris*, pro libertate Critica substituit. Adversarius si dixerit, hæc Conjecturas esse; eas solidarum rationum loco mihi tantisper esse respondebo, quamdiu contrarium ex *bonis suis libris* probaverit. Hactenus meæ Conjecturæ cum suis paria faciunt. Nec inficias tamen ivero, hic aliquos scrupulos superesse, & examussim omnia non convenire calculis, quos Adversarius attendi debere contendit. Sed Grammaticorum morosis præceptis opponere convenit usum loquendi, eruditis quoque probatum, quem secutum Plinium esse, certo persuasum habeo. *Vtendum plane sermone ut nummo, cui publica forma est*, monente Fabio lib. 1. cap. 6. Teste Plinio lib. 33. cap. 3. *Olim placuit denarius pro decem libris æris:* postea iterum *placuit denarium* XVI. *assibus*

per-

permutari: & tamen fremente Grammatica, publice *denarii* nomen frequentatum fuit. Hoc adjicere convenit: quamvis apud Romanos usuræ essent menstruæ, & ordinario singulis mensibus exigi solerent, sors quoque singulis mensibus (si ita conventum esset) repeti posset: usurarum tamen aliam quam sortis fuisse rationem. Illæ quoque mense exigebantur exacte, unde fœneratores ab Ambrosio, cap. 3. de Tobia, *menstrui exactores* vocantur; quum ratione sortis observari deberet dies, in quem conventum esset. Verisimile autem est, quod qui pecuniam fœnori dabant, in annum potius quam singulos menses eam credere voluerint, singulis licet mensibus usuræ exigerentur: quæ nisi ad diem solverentur, ἀναλογισμὸς (ut alibi ostendemus) attendi solet. Ita & Provinciarum tributa per annos singulos definiri solent, singulis licet mensibus exigerentur. Quæ occasio fuit, quod nequam ille Licinnius Galliæ præfectus, teste Dione Cassio lib. 54. Provincialibus persuadere voluerit, quatuordecim menses annum constituere. Circumspecte dixi, ordinario fœnus quoque mense solvi consuevisse: nam aliquando conveniebat inter contrahentes, ut *fœnus* esset *perpetuum*: quod ideo fiebat, ne locus daretur ἀναλογισμῷ. Patet ex Cicerone lib. 5. ad Att. ep. ult. ubi ipse optat, quo Salminiis consuli posset, ut *Centesimæ perpetuo fœnore ducerentur.* Responsiones meas ad prius & D. Salmasii & Gronovii argumentum proxime tu-

 tari

tari deberem; ſed quum Adverſarius eadem chorda oberret & ſua ſolum principia tueatur, non eſt neceſſum juxta lineas ſingulas vindicare. Quod dixi de Sextariis, jugeris, &c. veriſſimum eſt, cum *ſuo modo*, ſeu, peculiari ratione ſint menſurabilia, *non poſſunt ita in duodenas partes diſtribui, ut duodena cujuſque anni parte, pars pariter duodena exhibenda ſit.* Nec per ſomnium cogitavi (ut pag. 47. mihi affingit) quod *centeſima diſpertita eſt in duodecim uncias, ejus rei rationem eſſe quærendam in anno*; ſed quod duodecies, hoc eſt, uniuſcujuſque menſis Calendis, duodena aſſis annui pars exigi conſueverit. Marcus Dama uſuris centeſimis à Fufidio centum florenos acceperit, Fufidius non expectaſſet uſque dum annus uſurarius finitus eſſet; ſed cum ſacco primi menſis Calendis acceſſiſſet, unum florenum accepturus, hoc eſt, duodecimam aſſis uſurarii partem, ſive unciam: quem aſſem plene valentem duodecim florenis, alius aliquis humanior finito demum anno exegiſſet. Fœneratores autem menſibus ſingulis uſuras ſolvi volebant, ut haberent occaſionem exigendi ἀνατοκισμόν, prout modo innui. Hoc fuit meum reſponſum, hoc etiam examinare debuiſſet Adverſarius: qui licet pag. 49. jactet *ſe in libera Rep. vivere*; (ea nulli licentiam convitiandi concedit) volens nolens tamen (ut jam antea innui) idem fateri cogitur, & iterum cogetur. Annum contrahat ut libuerit, & vel annum Arcadum aſſumat. An non Uſura centeſima

ſima ſorti centeſimo quoque menſe adæquabitur? Et, ut hæc ipſa eſt & manere debet as uſurarius cujuſcunque ſeu menſis, ſeu anni ratione habita, ita certum manet, à tempore Numæ Pompilii Romanum annum habuiſſe duodecim menſes, atque qui ſortem per annum retinebat, pro more Romano duodecies Centeſimam ſortis partem debuiſſe ſolvere. Quæ ratio ergo, cur, quod duodecies quoque anno ſolvebatur (toto illo, quod ex duodenis partibus conſtituebatur, *aſſis uſurarii* nomen ferente) non potuerit, ratione ſingularium partium, unciæ nomen ferre? cumque ſemel tantum centeſima poſſet ſolvi; altero ſcil: menſe ſorte reſtituta: cur non ratione aſſis uſurarii, qui ad duodecim menſes continuatus duodecim unciis conſtitiſſet, fœnus illud menſtruum, æque unciarium, ac Centeſima dici potuerit? Aperte agat Adverſarius, & voculas (ut in toto hoc diſcurſu agit) non captet, quo cavillari poſſit. Quæ Salmaſio reſpondi de *Vſura ſemuncia*, æquivalente *Vſuræ ſemiſſi*, nondum ſunt everſa. Quando vero ſcripſi, cum *duodenæ Tacito ſemunciæ, quoque menſe ſolvendæ, conficiant ſemiſſem aſſis annui, ſive Centeſimæ*: quiſquis candorem non exuit, hæc ita non interpretabitur, quaſi innuere voluerim, quoque menſe duodenas ſemuncias ſolvendas fuiſſe, (ut hæc Adverſarius explicat) quid enim à ratione æque alienum eſt? Sed duodenas ſemuncias per partes quoque menſe ſolvendas fuiſſe, ita ut ſingu-

 lis

lis mensibus singulæ semunciæ solverentur. Verum quod inops rerum & rationum esset, talia aucupari debuit, ut suam ostentare posset loquentiam. Porro sic scripseram: *Quod aliæ usuræ pariter secundum propriam denominationem non referantur, & ad singulos menses, & ad assem annalem, sive ad aßem Centesimæ, ratio est, quod non occurrant æque commoda vocabula, atque se offerunt ratione centesimæ, secundum annum considerandæ, & unciarum semunciarumque ratione, secundum menses singulos, & tamen ad proportionem Centesimæ, sive assis usurarii, aptarum vulgo denominari.* His aliud cum opponere non sciret, sua pag. 53. & seqq. repetit. Erit vero mihi Apollo usurarius, si æque commoda invenerit nomina usurarum quadrantium, trientium, quincuncium, &c. quibus exprimatur duodena earum pars, quæ quoque mense Romæ exigi poterat: atque uncia quoque mense solvenda, duodecimam partem Centesimæ, seu assis usurarii signabat. Misericordia vero dignissimus est, quando pag. 51. hunc producit Achillem: *Firmissimum & invictum argumentum est*, si Vnciarium fœnus & Centesima, semunciarium, & (*ut nos loquimur*) sex in centum *idem eßent*, sextantarium fœnus *vel* sextantes usuras *fore duas centesimas, seu* XXIV. *in centum*; quadrantarium, *ternas centesimas, sive* XXXVI. *in centum*; trientes usuras, *quaternas centesimas*, XLVIII. *in centum*; quincunces usuras, *quinas centesimas*, LX. *in centum*; semisses usuras,

senas

senas centesimas, LXXII. *in centum*; septunces usuras, *septenas centesimos*, LXXXIV. *in centum*, &c. Probasse antea debuisset, Romæ (neque enim extra illam divagari licet) & sextantibus, & trientibus, & quadrantibus anni partibus, Vsuras solvi consuevisse. Hæ unoquoque mense solvebantur, nisi aliter, ut jam patuit, convenisset: eoque ratione solutionis habita, ubi Centesima ut As usurarius secundum annum considerabatur; illud, quod quolibet mense solvebatur, uncia, seu duodecima pars Centesimæ ut annuæ erat. Alius jussus solidum argumentum adducere, si ita argumentaretur, firmissimis Hippocratis vinculis constringendus foret. Gronovius venia dignus est, quia Dialecticam non didicit. sua quoque ut Grammatica duntaxat vult agnosci. Eoque oratione ad me conversa pag. 53. dicit: *Si meminißet, quid sit, quantumque valeat analogia*, &c. Triplex Analogia (Grammatica scil.) hic notari potest; λογικὴ, ἄλογος, & Gronoviana; quæ, an media inter illas intervenire debeat, an ad posteriorem referri, ambigo? Viderit, ne Analogiæ huic nimium tribuat. Ea ipsum Ciceronem aliquando decepit, ut fatetur lib. 6. Ep. ad Att. ep. 2. Quod mihi constet ratio, Analogiæ Dialecticæ, Arithmeticæ, Politicæ, & Historicæ; Grammaticæ securus sum: quodque meam sententiam (ut confido, hactenus auspicato) cum hac conciliaverim ringente Grammatico, superpondii duntaxat loco haberi cupio. Etiam omnia sua non cohærere

hærere fatetur. Inde illud pag. 79. *Omne simile etiam dissimile est.* quod tam mihi, quam ipsi favere debet. Æque securus sum Authorum meæ sententiæ faventium. Gloriatur Adversarius, se mihi subduxisse Sigonium, Manutium, Adr. Junium, Hottomannum, Pichenam. Ego etiam tam liberalis sum, ut suis fautoribus, quorum ductor Accursius, *(bonus* scil. *Author)* ultro adjiciam Budæos, Brissonios, & Dionysium Godofredum, (filius Jacobus hic mecum sapit) & forte quamplurimos alios, qui Jus Romanum more consueto interpretantur. Vni veritati sacramentum dixi, cui multi an pauci faveant, digitum non vertero. Ipse sequentia legit apud Senecam de Vita beat. ad L. Gallion. *Non est, quod mihi illud discessionum more respondeas: hæc pars major esse videtur; ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est: quæramus quid optime factum sit, non quid usitatissimum.* Quæ hactenus in hac controversia scripsi, Noster licet Hector haberi velit;

——— ὃ τις ὀνόσσεται, ὅσσοι Ἀχαιοὶ,
οὐδὲ πάλιν ἐρέει.

Atque ita sententia mea hactenus vindicata, simul in integrum restitutis viris egregiis, quibus Hector, Achillis nescius, insultare ausus fuit; despiciendum, quomodo explicanda sit lex 47. §. 4. ff. de Administr. & peric. tutorum, in qua sic loquitur JC. Scævola: *Præfectus legionis ita testamento cavit:*

vit: Volo, ut ſit in arbitrio tutorum filii mei, ſi voluerint hujus ſummæ uncias inferre, uſurarum nomine: ita, ne nummi diſpergantur: *quæro, ſi apparuerit, pecunia fœnerata à tutoribus, judicio tutelæ uncias uſuras, an vero eas, quas ſtipulati ſunt, præſtare debeant? Reſpondi, Si ſecundum voluntatem defuncti elegiſſent uſurarum præſtationem, neque pupilli nomine in fœnus dediſſent, id præſtatur quod teſtator voluiſſet.* Hanc legem, non tanquam *Legum Pater*, (prout à Noſtro, qui Albi Prætoris conſultus, imo Jurium Doctor, publice traducor) ſed ut æquus Veritatis Hiſtoricæ antiſtes his verbis illuſtraveram: *Teſtator, qui pupillis ſuis per tutores conſultum volebat, pecuniam collocârat commode, nempe ad uſuram centeſimam, ſive uſuram unciariam, cujus pecuniæ uſum cum ambiiſſent Tutores, offenſi ſunt onere uſurarum, atque minores uſuras ſtipulari voluerunt.* Adverſarius, poſtquam inſtar medicorum è Circo (credo ad modum præludii) multa jactaſſet, caſum Legis refingendo, pag. 59. ſic profatur; *Teſtator* (inquit) *incertos caſus prævidens, ſi pecunia, quam relinquebat filio impuberi, inter plures creditores diſpergeretur, maluit eam eſſe penes tutores, quos ei dederat bonos viros & exploratæ fidei. Non poterat hoc mandare: ideo arbitrium illorum fecit: ut tamen eos ad deſiderium ſuum pelliceret, leviſſimas, ſi fœneratam velint habere, conſtituit illis uſuras. Tutores eam pecuniam collocarint haud dubio majoribus. Quod quum emanaſſet, quæſitum eſt, uncias uſuras*

ex testatoris ordinatione, an quas ipsi stipulati essent, judicio tutelæ pupillo deberent. Respondet Scævola, si illi accepissent conditionem à tutore (credo voluit scribere *à testatore*, aliàs inepte omnia procedunt) *latam, deinde pecuniam suo, non pupilli nomine atque periculo, in fœnus dedissent, non debere nisi uncias usuras.* Insultarat antea mihi, quod Testatorem vivum collocasse pecuniam dixissem, quod addidissem Tutores ambiisse usum pecuniæ, & offensos fuisse onere usurarum: siquidem nihil horum in Lege diceretur. Sed ubi Lex dicit, quod Testator maluerit pecuniam esse penes Tutores quam alios? quod illi fuerint boni viri & exploratæ fidei? Quod acceptam pecuniam sub levissima usura, majoribus potuerint credere? Hæ sunt conjecturæ, quibus hactenus meæ æquivalent. Despiciamus an meæ præferri non debeant? Quis Pater non præsumitur optime suis liberis consulere? At quis simul præsumat de tali Patre, eum voluisse pecuniam suam credi Tutoribus, ut duodecimam solum usuræ Centesimæ partem solverent? licuerit vero tutoribus majoribus usuris (quæ & Romæ, & in toto Imperio Romano, ut jam patet, ordinario Centesimæ erant) eandem pecuniam collocare, de qua ipsi certi esse non poterant, an non foret dispergenda? Tutores ipsi, pupillis ex Lege, ratione pecuniæ quam apud se detinuerint, solvere debent Vsuras vel quincunces, vel Trientes, *leg. 7. §. 9. ff. de Peric. & Administ. Tut.* atque si vel dolo, vel negligentia pecuniam pupillarem

larem collocare neglexerint, *usuras maximas*, sive Centesimas, juxta Tryphoninum l. 38. ff. de Neg. gest. debent. Quæ ratio ergo, ut duodecimam solum usuræ centesimæ partem solvendo, fidem suam liberare potuerint, & simul eandem illam pupillorum pecuniam grandibus usuris collocare? Vt hoc, quod vult Adversarius, licuerit tutoribus, intervenire debuit cognitio judicis? Sed quomodo judex permittere potuerit, ut tam levibus usuris tutoribus pecunia crederetur: quum ejus officium sit, primo *exigere, ut profiteatur tutor, quæ sit penes se summa, & comminari graviores ei usuras infligi ejus, quod supra professionem apud eum fuerit comprehensum*, juxta Vlpian. l. 3. §. 4. ff. Vbi pupill. educari. Vt clarius pateat, in hoc Testamento per Vsuras uncias intelligendas esse Centesimas, attendatur Testator. Miles fuit, qui forte & militare Testamentum (cujus multa privilegia esse solent) condidit. Idem formulam usuræ unciariæ (abolitam jam consuetudine) inter testandum usurpavit, ὥσπερ νόμισμα ἀρχαῖον ἐκ θησαυροῦ ποθὲν ἀδεσπότου, ut loquar cum Dione Chrysostomo in Olympiaca. Habuit quoque dubio procul, pecuniam suam depositam aqud argentarios pro more, stipulatus ab iis usuras Centesimas, (multos enim consuevisse apud argentarios pecuniam suam deponere, & usuras stipulari, docet *Vlpianus l. 24. §. 2. ff. de reb. Auct. jud. poss.*) permisit vero arbitrio Tutorum pecuniam hanc accipere, & grandioribus usuris

ris collocare, modo Centesimas, seu uncias ipsi inferrent. Quùm enim Argentarii ordinario binas aut ternas Centesimas (supra Scaptius nos docuit, de Fufidio consulendus quoque Horat. lib. 1. Sat. 2.) acciperent, simplices facile promittebant. Et huc tendunt verba Legis: *Volo, ut sit in arbitrio tutorum filii mei, si voluerint hujus summæ uncias inferre usurarum nomine*, &c. ergo pecuniæ depositæ nomine, Vsuræ jam solvebantur. Non parcit mihi Adversarius, non parcam quoque hoc tempore illi, quia asserendæ veritati studeo. Attendatur ergo, quod Tutores jubeantur *uncias inferre usurarum nomine*. Notum illud Horatii lib. 1. Sat. 6. *Ibant Octonis referentes Idibus æra.* Quæro ergo ex illo, quando ordinariò moribus Romanis Vsuræ *inferri* consueverint, anno finito, an cujuscunque mensis Kalendis? Nisi secum committi voluerit, pro Kalendis respondere debet. Sed jam totum negotium est confectum. Tutores uncias usuras singulis mensibus inferre debent, atque similes uncias minimum cujusque mensis idibus referre: duodenæ autem unciæ, duodenis Kalendis seu Mensibus respondentes, absolvunt assem Vsurarium annuum, seu Centesimam. Hæc mea sententia est. Suam si tutari voluerit Adversarius, necessum est summam, apud tutores depositam, valde grandem, & Tribunum quam locupletem fingat. Modica si fuisset summa, quantillum quoque mense inferendum fuisset nomine usurarum duodecimam centesimæ partem

partem conficientium. Interim per me pertinax erroneæ sententiæ patronus maneat cum Accursio, qui illi non modo jam *bonus*, sed & *optimus Author* est, quia favet. licet suffragium dicere non potuerit, nisi & vapularet. Sed pariter vapulat JC. Scævola: nam juxta suum illud *Vre seca*, pro *præstatur*, in ipsa Lege pag. 58. substituit *præstaturos*. Superest Senecæ locus lib. 3. de Ira cap. 33. Ita habet: *Quod si propter usuram haud millesimam valetudinarius fœnerator distortis pedibus & manibus ad computandum modo relictis, clamat, ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat.* An *usura haud millesima* fœnori unciario respondeat, prout Adversarius interpretatur, controvertitur. Voluit illud Lipsius, voluerunt Salmasius & Gronovius Lipsium secuti. Breviter sic scripseram: *Certe, hoc fidiculis non extorseris ipsis Senecæ verbis.* Quid si, *dicit Seneca, aperte innuendo, à se fingi casum hominis ad extremas sordes avari & iracundi. Nos Philosophi, Tyronibus artis Logicæ, inculcare quam diligenter solemus axioma in Scholis decantatissimum:* Conditionalis propositio nihil in esse ponit. *Secundum quod, si considerentur Senecæ verba, luce meridiana clarius patebit,* usuram vix millesimam, *quæ ex mente Senecæ, non nisi* Chimæra, *aut* ens rationis *est, nihil commune habere cum* usura unciaria, *aut* unciali. Multa adversus hæc corrasit Noster, quæ an ab ipso vel interioris admissionis amici exspectaverint, ipsi judicent. Quod mihi necessitas incumbat, exhibere

bere & examinare cogor. Pag. 81. sic lego: *Nulla est tam beata civitas, in qua non inveniantur Capitecensi & Proletarii, sordidi & triparci, qui & parum habent, & velint id occupare, & parum possunt; vel quia diffidunt, vel quia eorum, apud quos occupare possent, accessu arcentur: deinde quantulocunque à sui similibus expresso contenti sunt. Suetonius Julium testatur omnes circa Pompejum, atque etiam magnam partem Senatus, gratuito aut levi fœnore obstrictos habuisse. Neminem inter hos fuisse putat, qui unciis usuris teneretur?* &c. Ergo hæc est conclusio, quod apud Senecam *usura vix millesima*, sit *Usura unciaria*, intelligenda non secundum nostra principia, sed erronea Accursii? Quis non cum Horatio exclamet,

Nil intra est oleam, nil extra in nuce duri?

Singula pensitemus? 1. Euclio non tantum propinquos habet inter quintæ classis homines, sed assiduos quoque, qui in Orchestra & Quatuordecim sedent. Nec desunt ei cognati in ipso ordine Sacro, & Penulatorum magistrorum. Ego certe novi aliquos, qui avaras manus ad δίδαχ'ρον extendunt, & quæ unciatim potuerunt compercere, non levibus usuris, sed quam grandibus occupare student, licet postea, graves in speciem debitores versuram faciant. Quorsum ergo soli Capitecensi avaritiæ notantur, qui juxta Chrysostomum hom. 23. in ep. 1. ad Cor. si morbo hoc laborent, solent λιμῷ γαστέρα ἐκλείπειν? 2. Ut omnis avarus suspicax est, & omnia tuta

tuta timet; (ut Comicus Latinus graphice circa ollam Euclionis ostendit) ita præ aliis suspicaces esse solent homines, quos Adversarius notat, ubi divitiarum amore æstuare cœperint. Pecuniolæ quid si collegerint, tantum abest ut credant suæ sortis hominibus; fundos, Basilicas, & similia circumspiciunt, quò sibi & de sorte & de Vsuris liceat esse securis. Atque, si amicus quoque pecuniæ usum rogarit, & prædiolum aut domum non habuerit, numum exorare non poterit. Si dubitet Adversarius, hujus ordinis homines in sua urbe adeat, atque intelligere discet sequens Martialis Epigramma:

Cum rogo te numos sine pignore, non habeo, inquis:
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.

3. Quis credat hos ipsos, quos notat, *quantulocunque* contentos fore? Dubiæ fidei (ipso Adversario teste) solent esse tribules, & ejusdem sortis homines. Audiat ergo seipsum: pag. 72. jam dixerat: *Quoties fides erat angustior & rei nummariæ difficultas, multum:* scil. stipulabatur mutuans. 4. Quis ei quoque dixit tales potentiorum accessu arceri? Contrarium verissimum est, atque proh dolor! plurimi in ipso hoc Belgio inveniuntur, qui opes maximas corraserunt, quod à pauperioribus, & suis quoque ancillis, famulis, atque clientibus, pecuniam mutuam accipere solerent trientibus usuris, eamque apud alios occupare semissibus, imo bessibus.

 5. Ju-

5. Julius Cæsar cur advocerur, nescio. Apud Suetonium lib. 1. cap. 27. hæc lego: *Omnibus vero circa eum, atque etiam parte magna Senatus, gratuito, aut levi fænore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel sponte ad se venientes, uberrimo congiario prosequebatur.* Quæ sequela: Julius quosdam levi fœnore obstrinxit, ergo fœnus illud fuerit usura vix millesima, sive, boni Accursii unciaria? Quum per hæc tempora ternæ quoque Centesimæ receptæ essent, Julius aliquos ex laticlaviis sibi & suis conatibus mancipare potuerit, pecuniam apud eos occupando, usuris bessibus aut semissibus. Hodie per Hollandiam ipsorum Illustrium Ordinum nomine solvuntur usuræ trientes, & levis fœnoris rationem habent, quod elapsis nondum XXV. annis, semisses per eosdem solvi solerent. Pergit Noster & Historicum agit: *Scythas Asiam perdomitam vectigalem fecisse ait Justinus, modico tributo magis in titulum imperii quam in victoriæ præmium imposito. Nunquam putat simile quid fecisse privatos? At vidi novique parentes, dominos, heras, qui quæve liberorum, servorum, ancillarum, vidi cives matronasque ornatas, qui quæve tenuiorum aut anicularum peculiolas quum revera custodirent, sic tamen eis gratificarentur.* Sed ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα: & quem non pudeat, sic ineptire Gronovium? Equidem me pudet, quod hæc debeam examinare, & ligonem ligonem vocare. 1. Quare huc advocantur Scythæ, & modicum eorum

rum tributum, cujus meminit Justinus lib. 2. c. 3? Tributum utut leve oneris semper rationem habet, non usura. Quando enim Mævius Sejo usuras solvit, quod hujus pecunia utatur, eam ipsam pecuniam, aliis usibus impendendo, quæstum facere potest, quum nihil ex tributo, quod Victori principi, non viventi inter vectigales subditos solvitur, redeat ad illos, qui solverunt. 2. Dicit, *Vidi novique qui quæve cum anicularum pecuniolas custodirent*, &c. Non possum, quin exclamem cum Sexto Empirico adv. Mathematicos: τοῦτ' ἀδολεσχόν ἐστι καὶ γραμματικῆς γραολογίας πλῆρες. Si pannucia Baucis sic ineptiret, venia concedi posset ætati, quid vero facias tanto viro? An non omnis usura descendit ex contractu? An non ipse supra pag. 72. dixit: *Qui ibat in creditum adpendendo centum aut mille libras æris*, stipulabatur *mercedem usus pecuniæ suæ*, &c. Nullum fœnus est gratuitum: quod *leve* quoque est, (ut modo vidimus) Suetonius *gratuito* opponit. Sim nostro J. V. Doctori *ridiculus* JC. hoc tamen novi, quando mutuum distinguitur in gratuitum, & usurarium, usurarium semper implicare respectum ad contractum. Qui anicularum pecuniolis, quas custodiunt, quid adjiciunt, liberales agnosci debent, & forte simul vultures: sæpe *captatio in quæstu fertilissimo* est, ut cum Plinio loquar ex Præf. lib. 14. Aliquis alius suspicari posset, Nostrum hominem, quia dicit, *vidi novique*, Arruntii atque Aterii artes callere, quorum juxta

Senecam lib. 4. de Benef. cap. 38. eadem, quæ *designatorum & libitinariorum vota* erant. non ego tamen. spero nescire illa, quæ captatores sciunt. 3. Non attendit, Senecam loqui de fœneratore, & quidem tali, qui admodum eleganter alicubi à Philone Judæ βαθύπλουτος vocatur. At quis, qui modo novit fœneratorum ingenium, credat, talem hominem voluisse pecuniam suam occupare *usura haud millesima?* Non subsistit Noster Senecæ interpres, pag. 82. ita deinceps loquens: *Quales sunt casus qui finguntur? nempe ex media vita & rebus plerumque obversantibus petiti*, &c. *Casum fingere, quem mos aut natura evenire non patitur, est inepti aut ingenio ludentis*, &c. *Quasi casum fingere & sub conditione statuere, una & eadem res sit, aut ubicunque particula* Si *habetur, ponatur conditio. Nihil hic adfirmatur aut negatur sub conditione, sed rogatur judicium de facti specie, quod quotidie occurrebat.* Quam multa hic iterum non occurrunt castiganda? 1. Mirum, quod qui Poëtas antiquos legit, & in ipsum Papinium Statium commentatus est, dicat omnes casus fingi *ex media vita & rebus plerumque obversantibus?* qui præ aliis hic videri volunt ingeniosi, sedulo operam dant, ne *ex media vita aut rebus plerumque obversantibus petiti sunt*. 2. Quis dixerit, omnes illos *ineptos* habendos esse, qui casum fingunt, quem *mos aut natura evenire non patiatur?* Quid de fabula dicemus, quæ apud viros quoque serios casus rationem sæpe habuit? Est vero secundum Aristote-

lem de Poët. cap. 6. τῆς πράξεως ὁ μῦθος μίμησις. Et, ne putet fabulas veri quid complecti, Pindarus Olymp. Od. 1. pronunciat, quod μῦθοι sint δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις. 3. Do lubens, particulam *Si* semper non arguere conditionem: quotiescunque vero illam arguit, conditio est dubia & incerta; nec vera aut certa evadit, nisi quatenus illud, quod sub conditione dicitur, remota illa verum est. 4. Vnde colliget quod Romanus *Sapiens roget judicium de facti specie, quod quotidie occurrebat?* Simile quid in Romanis Scriptoribus si invenerit, aures arrigemus. Confundere me quoque laborat, postquam pro sua modestia convitiatus esset. *Si Centesima* (inquit) *nihil aliud est quam as usurarius annuus & duodecim in centum, quid erit Millesima? Ex ipsius quidem explicatione longe maxima & iniquissima: nempe duæ centesimæ. Quid enim mille nisi decies centena. At Seneca pro omnium levissima eam ponit.* Quis nescit decies centena conficere mille, sed, an propterea ex meis principiis *usura haud millesima* conficere debet *denas centesimas*, quod similis sit terminatio? Nullus præter eum, qui cum Nostro Logicam ne quidem in pariete depictam viderit, ita instituerit colligere? Sequuntur hæc pag. eadem, sive, pag. 83. *Sit autem Chimæra, sit Centaurus, sit (quæ notior illi elegantia est) ens rationis: tamen monstra quoque commenticia, quæ nomina acceperunt, ob aliquam rationem acceperunt, etsi quandoque sit illa ignotior: saltem non Græci &*

Latini ut vocabula illis darent, barbare sunt loquuti. Quid est σιβυλλιᾷν, si hoc non sit? An non ætates, Latini sermonis ratione, distingui debent? Voces, quas elegantes Majorum barba putavit, posterior & cultior ætas ut scopulos vitavit, imo barbariei arguit. Eoque Fabius l. 1. c. 11. iis utendum non ait, *quæ utique ab ultimis & jam obliteratis repetita sunt temporibus: qualia sunt toper, & antigerio, & exantlare, & prosapia, & Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta.* Vnciarium fœnus vetusta signatum nota est, & usque à XII. accersendum. Exposuimus illud juxta Romanæ rei statum, eoque, licet nobis securis esse minutiarum Grammaticarum; quarum ipsi Adversario, Grammatico licet, usque adeo non constat ratio, ut, (hoc & supra notare debuimus) coactus fuerit dicere, *omne simile etiam dissimile est.* Dein sollicitus de Senecæ salute, (quod cogitare debuisset à multis annis, ab eo manus abstinendo) ibid. dicit: *Salvum igitur præstemus Senecæ Romanum os. Et præstabimus, si de nostra, imo omnium sanorum, sententia admittetur dicta Centesima. Quemadmodum igitur potuit pro levissima nominare millesimam usuram? Nimirum, si ut centesima est, quoties in centum denarios datur menstrua centesima pars sortis, ita millesima, ubi datur menstrua millesima pars sortis usura. Atque hæc erit decima centesimæ. Hæ forent usuræ unciæ & semisicilici, paulo plus: videlicet in centum denarios as, & semis & assis decima: quia denarius sedecim assium.*

Quare

Quare bene observant Lipsius & Salmasius, non posse aliud esse quod intelligat Seneca, quam fœnus unciarium: & ideo dicere illum usuram haud millesimam: *habet enim paullo minus, nempe in centum denarios assem & trientem.* Gratulor, quod Cordubensi os Romanum tribuat. Eoque κατὰ τὸ βραχὺ hoc ipsum retorqueo. Quia ore Romano loquebatur Seneca, & ex illius præscripto scribebat; sordes fœneratoris notaturus, eum sollicitum esse dicit *de usura haud millesima*; mentionem facturus fœnoris Vnciarii, si (ut vult Adversarius) fœnus Romæ & levissimum fuisset, & inter fœneratores receptum. Cur enim castigati eloquii scriptor, incerta voce, & calculi dubii, (ex verbis præcedentibus patet) illud definivisset, quod formula Quiritibus usitata explicari poterat? Sed, quia fœnus unciarium notum ex ipsis XII. Tabulis, quas pueri Romæ ut quotidianum carmen recitare sciebant, à fœnore levissimo tam longe remotum erat, atque singularis numerus à duodenario, meminisse voluit *usura haud millesima*. Non quod eâ Romæ quisquam fœneraretur; (hoc nunquam factum fuit, prout nunquam quoque in usu fuit fœnus Vnciarium, ex Grammaticis quasi Adversarii principiis intelligendum) sed quod usurarum usque ad minutias minimas crudelis exactor esset fœnerator, quem Stoicus Romanus ut τὸν δεῖνα notabat. Non dicit vero eum fœneratum fuisse *Usura haud millesima* (hoc consentaneum non est ingenio fœneratorum, ternas quoque Centesimas

ſtipulari ſolitorum) ſed ob eam non ſolutam, clamaſſe. Accidere hoc potuit ratione ἀνάσκοσμῦ. Nihil donat, nihil remittit fœnerator, & vix milleſimam uſuram (licet nunquam ſtipuletur) Vſuris ad diem non ſolutis exigere negligit. Appoſite Philo Judæus lib. de Somniis per interpretem : (Græcus Codex ad manum non eſt) *Poteſtne* (inquit) *inveniri tam avarus, aut crudelis, aut importunus fænerator, ut quatuor paucioreſve drachmas fænerari velit, quàm donare ? & unicum illud veſtimentum non verebitur accipere pignori?* Forte dici poſſet, fœneratores præter uſuras grandiores ſtipulari quoque conſueviſſe creditæ ſortis, quando reſtituenda eſſet, additamentum exiguum, velut fœnuſculum : quod dici poſſe acceſſionem crediti, nemo mirabitur, ſi modo vera ſint, quæ Gronovius in Mantiſſa adverſus Salmaſium diſputat pag. 108. & ſeqq. aut, ſi fœnuſculum hoc non fuerit pars crediti, (minus hoc eſſe probabile, vindicaturus Salmaſium, alio tempore oſtendam) agnoſci ſaltem debere uſurarum ordinariarum ſuperpondium, fœneratoribus, quod laboranti ſuccurrere dignati eſſent, ſolvi ſolitum. Huc mihi facere videtur ſingularis Plauti locus Pſeud. 1. 3. ubi Ballio Leno Calliodoro amatori hoc conſilium dat: *Amabas? invenires mutuum, Ad Daniſtam devenires; adderes fænuſculum :* ſcil. uſuris grandibus, quæ ordinario ſolvi ſolent ab iis, qui mutuabantur. Atque hoc videntur ſupra innuere Impp. in leg. 2. Cod. Theod. de Vſ. quando non ſolum meminerunt

minerunt Centesimæ, quæ in stipulatum veniebat: sed hæc amplius verba addunt: *Quicquid sub occasione necessitatis eruerit.* Ob tale fœnusculum non solutum, licet vix millesimæ usuræ rationem haberet, indignari potuit avarus fœnerator, quem Seneca tangit. Sed nihil definio. sufficit evictum esse, quod usura vix millesima à fœnore unciario, (hoc, ut Adversarius explicat, Romæ ignotum fuit) toto cœlo distet. Postremo quod ὁ πάνυ Scaliger (qui circa fœnus Vnciarium cæteroquin favet) usuræ haud Millesimæ modum quoque definire voluerit, subducendo calculum, (in re plana Noster Assis sui comparationem omittere potuisset) erroneam interpretationem juvare non potest. Quot non Arithmeticorum calculi, extra calculum & cerebrum ipsorum mendaces sunt? Et tamen Noster pag. 84. & seq. in talibus offendit μέγ᾽ ὄνειαρ. Ignoscendum homini Logicæ ignaro. Atque sic circa Senecam quoque confectum est. Finire possem, nisi Adversarius, Suffeni exemplo, applausum ambiret, se evehendo, & me vituperando. Hoc facere solent Aretalogi. Possem negligere, nisi homo dulci Fortuna ebrius, sibi ipsi (cujus oblitus est) ostendendus esset. Eoque, qualis sibi videatur, videamus initio? Cum, ut Criticorum τῷ Alpha assurrexissem, sibi (est *Trojano* scil. *ex sanguine Cæsar*) quid decessurum putabat, si ego (aliud non ambiebam) *Criticorum obscurissimus* posthac haberer. Nam pag. 86. *amplius deliberandum putat*, an talem Titulum promerear.

Ego,

Ego, quod ad me, ex hac una ſolum Diatriba, ut, quotquot digni Criticorum nomine vivunt, arbitrentur rogo. Simul *bonis libris* teſtibus contendo, *Joh. Fredericum Gronovium*, fidem faciente hac ſua Ἀντεξηγήσει, indigniſſimum eſſe auguſto *Critici* elogio. Quod tam clarum reddam, atque cum meridie lucet. Crates (contra hunc teſtem quid excipiet?) apud *S*extum Empiricum lib. adverſ. Mathematicos pag. 16. ἔλεγε, διαφέρειν τὸν κριτικὸν τοῦ γραμματικοῦ. καὶ τὸν μὲν κριτικὸν πάσης φησὶ δεῖ λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον εἶναι· τὸν δὲ γραμματικὸν, ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸν, καὶ προσῳδίας ἀποδοτικὸν, καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων εἰδήμονα: παρὸ καὶ ἐοικέναι ἐκεῖνον μὲν Ἀρχιτέκτονι, τὸν δὲ γραμματικὸν ὑπηρέτῃ. Crates *dicebat Criticum differre à Grammatico. Et Criticum quidem dicit oportere eſſe peritum omnis ſcientiæ Logicæ: Grammaticum autem eſſe tantum interpretem linguarum, & tradere accentus, & ea ſcire quæ ſunt his ſimilia, & ideo illum quidem eſſe ſimilem Architecto, Grammaticum autem miniſtro.* En! Critici nomine nemo dignus, niſi qui *omnis ſcientiæ Logicæ fuerit peritus.* Vnde & Marcianus Capella (& eum bonum Authorem agnoſcere debet) lib. 4. ſic Dialecticam loquentem introducit: *Quippe in ditione mea jureque conſiſtunt ſex normæ, quîs conſtant cætera diſciplinæ. Nam prima eſt de loquendo. Secunda de eloquendo. Tertia de proloquendo. Quarta de proloquiorum ſumma. Quinta de judicando, quæ pertinet ad judicationem poëtarum &*

& carminum. Sexta, quæ dicenda Rhetoribus commodata est. Quis ultro jam, hominem hunc, omnis Dialecticæ non modo ignarum, sed & inimicum, Criticum agnoscat? Aut, quis eum ut Criticum commendare voluerit, qui & toties per imperitiam Dialecticæ, (supra patuit) sibi adversatur, & usque adeo à ratione est alienus, ut pag. 20. existimet se mihi convitium dicere, quod *Dialecticum* vocet? Dicet aliquis forte pro eo, tot authores emendavit, Statium, Livium, Senecam, & quos non alios? Fateor. Scriptoribus Ecclesiasticis quoque manum admovit. Apud Doctissimum Vossium lib. 1. de Arte Gramm. cap. 6. ita lego: *Peccari solet à sciolis & audaculis Criticis, qui dum sanis sæpe partibus medicinam facere volunt, vulnus faciunt.* Hujus furfuris Critici hoc ordine progrediuntur. Singulares aliquas voculas & locutiones, nomina quoque propria apud Authores observant; ea in Indicem redigunt. Sollicitantur postea variantes lectiones, quæ sæpe quoque multiplicantur; Vaticana, Medicæa, Regia Parisina, &c. Bibliothecis ad suffragium vocatis cum Codd. Mss. licet nunquam inspectis; & si aliqua ex iis vocula, aut locutioni, aut nomini proprio à se antea observato faveat; Authori, à cujus restitutione nomen æternum speratur, obtruditur: qui, si alibi non absimili modo videatur scripsisse, meus hic Criticus ultra hominem spirat, &, ut correxit scribit, aliosque ut imitentur, monet. Aliàs, ad præconceptam

ceptam de re aliqua opinionem, pro qua quædam antiquorum Scriptorum testimonia militare videntur, aliorum Authorum loca obtorto collo trahuntur, & tam diu in equuleo torquentur, quam similem explicationem in speciem admiserint. Si perrexerint homines hi, Dialecticæ & mihi, ut ejus Professori, maledicere, seseque Critico mangonio venditare, prolixo scripto æque solide hoc me evicturum spero, atque Vnciarium fœnus idem esse cum Centesima probavi. Interim non nego, fieri posse, ut aliquando veram lectionem Scriptori alicui osores Dialecticæ Critici restituant. Sed hoc nomine haut magis sunt laudandi, quam aleator qui in arte sua bonus est. Salmasius, assumpto Simplicii Verini nomine, in Judicio de scripto Postremo Grotii, hunc, ut Criticum expendens p. 4. dicit: *In Critica, quoniam & eam attigit, ut illis, qui alea ludunt, male aliquando res cadit, interdum & bene, prout fert fortunæ ratio, ita huic contigit non semper* ἐυςόχως *hunc ludum tentasse.* Et tamen Adversarius somniat, me *per se surgere voluisse*, & gloriolam captasse, *ut viderer acrior Philologicæ veritatis inquisitor.* Quasi gloriam mereatur, qui aut muscas cum Domitiano confodit, aut erucas conterit? Hoc si laudi cessurum putassem, à pluribus annis affectum Adversariorum volumen, in quo forte ipse aliquando utramque paginam faciet, protrusissem. *Acris veritatis inquisitor* sum, cui quam diu ipse credere aut non vult aut nescit, non modo

ei

ei malus, sed *pessimus* ero. Nec ideo illius sententia prævalere debet, quod, ut sæpius inculcat, multo labore & diuturna diligentia omnia sua subegerit; (quanquam hic non modo sibi adversatur, sed amplius ignorantiam doctrinæ de Oppositis prodit, quando pag. 86. contradictoria conciliare laborat) & quæ de re Nummaria atque Vsura, Scaliger, Salmasius, Budæus, Hottomannus, Snellius & alii scripserunt, sint *nimis festinata*. Jactabundæ voci aliquid deferri posset, si ad sua digerenda, peracre Salmasii judicium, & Dialecticum acumen attulisset. Et tamen usque adeo sibi plaudit, ut epistolam ad virum Illustrissimum sic ordiatur: *Florus scribit Macedonas puduisse semel vinci*, &c. & postea: *Etsi enim in locis meis, sibi alienis, me imprudenter adortus facile succubuerit: tantum tamen tumultus excitavit & pulveris, ut dispici nequeat, penes utrum stet verum & victoria, nisi hoc tropæum erigam.* Patior ut hoc somnio se oblectet. Judicent, qui hæc legent, & mea cum suis contendere possunt. Tropæum, quod erexerit, fateor. sed se, hoc est, Grammatico ex disciplina Comitis de Clara Valle dignum. Ad illud *primo* pertinet vox *etenim* semel atque iterum eo judice redundans. Quid dixisset, si illam tam frequenter usurpassem, atque simili ratione in uno quoque capite solet Cælius Aurelianus, Medicus antiquus, ad hoc accuratus & nitidus. V. C consulatur vel solum cap. 5. lib. 1. Tard. Pass. *Secundo* eodem refert *jugeri*: cur non & *jugeres*.

Vtrum-

Vtrumque juxta mea principia æque rectum, atque *jugera*. Tertio, *collocare ad usuram:* licet vetus Grammaticus ad Horat. Epod. 2. etiam dixerit *ponere in usuram*. Et *quarto*, quod hominem maxime affecit, erratum Typographicum: *As* pro *assem*; *as usurarius* licet legisset num. 11. Vnde sui quoque sceptri mentione facta, temperare sibi non potuit, quin pro Grammatico candore & sapientia pag. 46. scriberet: *Facile ferrem, non subtraxisset manum ferulæ Prisciani, priusquam ab eo didicisset, dicendum esse*, certum assem. Dicite iô Pæan! plausum date Gronovii discipuli! Atque ut Tropæum hoc penulati Hectoris sit magis conspicuum, Doctoris vestri verba ex pag. 62. præscribite: *Dum nos hujus legis mentio propemodum à meta ad carceres revocat, repente advertit oculos aliud documentum, quanta, qui somnos nostros aucupatur & quadrijugum verum per lancem & licium concipit, in scribendo aut veret cum vigilantia, aut cum veritate vigilet.* Certe si viveret Priscianus, hæc non intelligeret. ex Gellio licet sciamus, quid sit *furtum per lancem & licium.* Ac fortasse non intelligit ipse qui scripsit. dum morose, Tullianæ elegantiæ & Liviano nitori Aborigenum jus & Saliorum hymnos intexit, Oedipo Lectore indiget. Insultat mihi ut Philosopho; si solæcismum quoque (quod pernego) commisissem, & ipse supra Grammaticam surrexisset, cogitasset illud Anastasii Sinaitæ: ὁ ἔχων νοῦν ἐν τοῖς νοήμασι, παραφρονεῖ τῶν σολοικῶν: & quod Chrysippus apud

apud Plutarchum & Ellipses ,, & alia orationis flagitia Philosopho concedat, καὶ νὴ Δία σολοικισμούς. Plinius secundus de quodam amico dicit: *Eo ipso eum peccare, quod nihil peccaret.* Vnde Longinus libel. περὶ ὕψους, quædam ἁμαρτήματα εὐγενῆ agnoscit. Si ipsi quædam in Stylo meo displiceant, norit mihi longe plura non probari in ipsius chartis, toties incudi reddi solitis. sed hæc à scopo aliena sunt. Quando minax suum sceptrum intentat, viderit, quomodo solus posthac illius possessionem, ut Grammaticus, tutari queat. in eam jam olim Medici primores mitti voluerunt, & adeo quidem ambitiose, ut volumina ingentia, à se edita, hoc titulo honestarint. Auctore Galen. τῶν κατὰ γένη lib. 5. ὁ μὲν ἥρας ἐν βιβλίον ἐποιήσατο τῆς τῶν φαρμάκων συνθέσεως, ἐπιγραφόμενον νάρθηκα. Cratippi νάρθηκα citat idem Gal. l.6. τῶν κατὰ τόπους. Sorani νάρθηκα Aët. lib.8. c.44. Ne gloria hujus triumphi obliteretur, curabimus ne σφάλμα (factum licet jam sit) in iterata Exercitationum editione, quæ jam adornatur, restituatur. Miror interim, quod Noster hic edecumati eloquii superstitiosus observator, civitate Latina (aliæ voces quum occurrerent) nomen *Lombardi* donaverit? Sed, cum alia ratione præ imperitia Theologica & Juridica honesto ordini obnunciare non posset, & tamen aliquibus, qui absque caussa eundem oderunt, placere vellet; à nomine, apud vulgus inviso, invidiam provocari posse speravit. Ringitur pag. 86. ,quod quid in publi-

publicum emiſerim, atque nihil in poſterum me ſcribere vellet, ne contingat quædam ex ſuis placitis examinari. Non ego equidem ambitioſus ſum Scriptor, aut gloriam venor ex πολυγραφίᾳ. ſi aliquando aliquid prodeat, cui meum nomen eſt præſcriptum, velim Lector, qui candorem non exuit, cogitet illud Plinii Junioris ad Arrianum: *Edendum ex pluribus cauſſis: maxime, quod libelli, quos emiſimus, dicuntur in manibus eſſe, quamvis jam gratiam novitatis exuerint. niſi tamen auribus noſtris bibliopolæ blandiuntur.* Arguor quoque paſſim πολυμαθίας. Si quis, novi illud Martialis: *Quiſquis ubique habitat, Maxime nuſquam habitat.* quod imitatus Tertullianus de Præſcript. adv. Hæret. dicit: *Ero itaque nuſquam, dum ubique convenior.* ut qualemcunque Theologiæ & Philoſophiæ cognitionem indipiſci poſſem, ex Veterum admonitione putavi vacandum mihi eſſe Polymathiæ. quæ, ut mea, ad varias diſciplinas pertinentia, publice leguntur, à quocunque diſcuti patior. in iis ſi me proſtitutum velit Adverſarius, examinare tentet, & agat vel immodeſtiſſime. Liquere poſtea poterit, hoccine auſpicato magis egerit, quam propugnando contra meas rationes ſuam de fœnore unciario ſententiam, ſolo Grammatico ſpiritu turgentem. Plura Ipſius errata atroci ſtylo confoderem, niſi hoc feſtinatum Schedium plus ſatis hominem occupaturum eſſet: ſalvam ſi velit exiſtimationem, tueatur ſua, evertat mea. ut dixerit, audiet. Decretum

tum enim paria paribus respondere. Interim Eleusis servat, quod ostensura sit rescribenti. Tertio si somniet se vincere, tertio vapulabit. Nam non modo αἰσχρὸν σιωπᾶν, sed publice quoque interest, veritatem astrui. Finirem, nisi Lentulo Auguri, ex Seneca mihi noto antequam Ipse huic ungues injiceret, opponendus esset Remmius Palæmon Vicentinus, mulieris verna, idemque Grammaticus, de quo Suetonius: *Arrogantia* (inquit) *fuit tanta ut Marcum Varronem* porcum *appellaret*, secum & natas & morituras literas jactaret. nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed præsagiente Virgilio, fore quandoque omnium poëtarum ac poëmatum Palæmonem judicem. *Gloriabatur etiam latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse.* Quibus illustrandis singularis Sexti Empirici locus servit, adductus quoque à Paschasio Grosippo, sive Gaspare Scioppio Comite de Clara Valle, Epist. XIV. Parad. Literar. quem solum ex omnibus recentioribus Noster admiratur, & ducem quoque habuit in doctrina de Sestertio. Ita vero ibi Sextus per Interpretem: *Maxime* (inquit) *de artificio* (N. B.) *suo sibi placent seque magnifice jactant Grammatici: eos autem semper insectantur, qui sunt aliis ornati disciplinis, quasi illi ne communem quidem Græcorum morem & consuetudinem novissent: atque adeo* (N. B.) *si quando in disputatione premantur, sæpe non inveniunt aliam evadendi rationem ad abstrahendos eos, cum quibus disputant, quam quod*

F *barbara*

barbara sit ac solœca eorum oratio. Videmus etiam Grammaticos, qui fere ne duo quidem verba dextre possunt contexere, velle unumquemque ex antiquis, qui dicendi facultate & Græci sermonis proprietate plurimum valuerunt, ut Thucydidem, Platonem, Demosthenem, tanquam Barbaros reprehendere. Noster ut tempestive sapiat, sequentia, in optimo libro occurrentia, meditetur. *Intelligentiæ tuæ ne innititor. Abominationi est Jehovæ omnis altus animo.* Eoque, *superbis resistit, humilibus dat gratiam.* Qui hæc legetis, arbitramini, nec præjudicium, quod forte circa Adversarium fovetis, transversos vos rapiat. Hieronymi verbum est ep. 69. ad Pammachium & Oceanum: *Unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est.* Quod Adversarius *Mensæ fœnebris Exercitoribus* instituerit maledicere, & eorum Professionem arguere, fidem apud multns inveniet: & quod ego eorum habear patronus, arguor injustitiæ & inscitiæ circa quæstionem, non tam Grammaticam quam Historicam, quod meam sententiam in gratiam caussæ Trapeziticæ tutari videar. Frigidam dubio procul quoque Pythagoræ Pediani sectatores suffundent. illi justi jam diu esse desierunt, quod rigidi summi Juris exactores circa alios magis, quam se esse præsumpserint. Non tamen moveor. Et, si hæc præsumptio Lectores meos transversos rapuerit, ferre debeo. Quæ pro Trapezitis alias scripsi, publice leguntur. nec eorum pœnitet. Illi traducuntur, &, cum illis ego.

Sed,

Sed, qui traducunt utrosque, tales sunt, ut nunquam vir bonus propterea commoveri voluerit. Ego jam diu concoxi illud Senecæ: *Male* (inquit) de te *loquuntur homines. sed mali. Moverer, si judicio hoc facerent. nunc morbo faciunt. faciunt, quod solent. quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.* Etiamsi Gronovius reip. vomicas existimet illos esse, quos Lombardos vocat: aliud tamen existimant supremæ Patriæ nostræ Potestates, Synodi, Classes, Consistoria. disciplinam admiserunt, utque veteres aviæ sibi de pulmone revellerentur, permiserunt. Inde (rumpantur licet ilia Codris) honesti Trapezitæ alicubi in Consistoriis notati jam sunt, &, ut confido, posthac inter eos & honestos mercatores nihil interesse, vulgus ipsum agnoscet. Opinio impedimentum profectus est. Mens modo erudiri velit, & rationes audire atque expendere; brevi valetudinario egredietur. Admisimus opinionem, & quare admiserimus, nescimus: exuere tamen nolumus, quia erubescimus discere bonam mentem. Patientes si modo Lectores mei fuerint, & rationes ad Rationem exegerint, consequar quod ambio. Securus interim omnium sum,

Quos mala stultitia, & quoscunque inscitia
Excæcat.

nam nemo est insanabilior illo, qui sibi sanus videtur. Gaudeat hactenus Adversarius juventutis præconcepta opinione, imo favore & applausu, apud

eos, qui scruta emunt & æstimant, quia scrutarius laudavit: rationes meæ prævalebunt apud omnes illos, qui norunt (ut Ipse fateri compellitur) Usuras ad fata Reip. seu feliciora, seu infeliciora, se componere; & verba ex sensu Grammaticorum non esse explicanda, quando historia adversatur. Si dubitet, dignetur inspicere librum Belgicum, qui inscribitur: *Noodige Verantwoordingh voor de Bancken van Leeninge*, &c. cujus Author est vir longe doctissimus, & à multis annis ab Incomparabili D. Salmasio æstimatus, Amplissimus & Consultiss. Dn. *Justus Kriex*, amicus plurimum colendus. Ipse voluissem cum homine (quem hactenus æstimavi, & cujus omnia scripta diligentius excussi, ac forte quis alius mortalium) lenius egisse; sed fastui & præsumptæ suæ audaciæ imputet, quod stylum loliginis succo imbuerim. Non incidit in Cucullum Crucæi, aut in eum, qui se patiatur ab æquali contemni. Generosiores sumus (& tamen Christiani manemus) quam ut hæc possimus concoquere, maxime cum illi nos lædant, qui publice histrioniam faciunt, & quibus personam detrahi, reip. interest. Gratuletur interim sibi, quod durius pro meritis non sit habitus. Idem si me astrum temperaret, tropæum erigerem. Et quidem triplex. *Primo* materiam suppeditarent putidæ contradictiones. *Secundo* aniles fabulæ. *Tertio* Grammatici coccysmi. Sed ambitiosus non sum: nec unquam, aut me, aut mea ostentare soleo. Patior,

ut

ut Noſter ſufflet, & ſua per ora virûm magnifice traducat. Alii, quæ inter nos controvertuntur, diſcutient. Exſpecto ab eo reſponſum. Sed ipſe interea ſimul exſpectet Vindicias virorum ſummi Adr. Junii. Quibus an præſcribere debeam titulum *Ridiculi Sycophantæ*, an *Ridiculi Grammatici*, adhuc ambigo. licet certo ſciam Adrianum Junium non eſſe *ridiculum Batavum*, &, per intolerandam calumniam viro de rep. literaria meritiſſimo *ridiculos errores* objici à Gronovio non Batavo. qui, ut ſpleni ſuo fibulas aliquantiſper imponat, moneo. ſane videtur eum quam petulantem habere. nam ego ipſe pag. 87. *lepidum caput* ei videor. Ergo oblectet ſe leporibus, quos hic legit. Et ſi in poſterum melioribus, atque ſuo ſupercilio dignis recreari non velit, pueri Dinacii conſilium audiat apud Plautum, æque meum atque ſuum, Stich. 2. 2. *Age, quod placet. curre, ut lubet. cave quemquam flocciſeceris.* Sed Ohe jam ſatis eſt! videor me expediiſſe. Viderit Gronovius, ut ſe pariter expediat. Securus ſum minarum Æacidinarum, æque atque fulminis è pelvi. Diſcutiantur interim hæc ab iis, quibus datum eſt ſapere. ut confido

οὐχὶ περιπλοκὰς
λόγων ἀθροίσας εἶπον, ἀλλὰ καὶ σοφοῖς,
καὶ τοῖς φαύλοις ἔνδιχ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ.

Poſt-

Poſtmonitum ad Lectorem.

ERrata quædam & noſtra, & ſtyli, & operarum irrepſiſſe, diffiteri non audeo. Maximus ille Gronovius tertiam partem erratorum ſuorum in Syllabo non annotavit, & tamen auſus fuit, ex meis qualibuſcunque Erratis ſuum Tropæum erigere. quibus haut difficulter ignoviſſet, ſi tantum candoris haberet, quantum ſuperbiæ. Ego nulla errata annotare volo, certus, mi benevole Lector, te tantum à Gronovio diſtare, quantum ille à Bona Mente. Feſtinanti & multis aliis diſtricto accidit, quod cuilibet accidere ſolet: & ſæpe currenti evenit, quod ne eundo quidem evitari poteſt. Tu modo fave, & reliquos negligam. Simul vale, & alias adverſus Gronovium Diatribas exſpecta.

F I N I S.